

Paul Tarnow Matthäus Calander

**Disputatio Theologica De Ministrorum Verbi Abdicatione Spontanea, translatione,
dimissioneq[ue] cum voluntaria, tum invita : de immunitatibus & praemiis eorum,
qui fideliter suum munus administrant, poenisq[ue] caeterorum cum temporariis,
tum aeternis**

Rostochii: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737568445>

Druck Freier  Zugang



W. A. Falander
P. Tarnovius/a
R. U. theol. 1620.

DISPUTATIO THEOLOGICA

D E

MINISTRORUM
VERBI ABDICA-
TIONE SPONTANEA,
translatione, dimissioneq; cùm vo-
luntaria, tum invitá: de immunitaib; &
prætociis eorum, qui fideliter suum munus
administrat, pœnisq; cæteroram cum
temporarijs, tum æternis.

*De cuius thesibus in publica œccl̄ia
examinandis,*

AUXILIANTE DEO TRINUNO,

SUB PRÆSIDIO

PAULI TARNOVII,
D. & Professoris S. S. Theologiae,

RESPONDEBIT
M. MATTHÆUS CALANDER,
Plavensis Megapolitanus.

In auditorio majori, a. d. V. Januarij.

ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani Acad. Typog. Anno 1620.

1620





Iud apostolus Philip. c. 3. v. 13. ab omnibus Christianis communiter exigit, ut sint imitatores ipsius, non aliorum, quos ibid. v. 14. & seqq. describit; id in primis sibi dictum nōrunt, qui vel jam esse debent, vel aliquando fieri student typi fidelium, 1. Tim. 4. v. 12. qualis autem ipse in suo officio & in totā vitā fuerit, cūm alibi pluribus descriptum exstat, (vide Act. 20. v. 20. & 31: 1. Cor. 9. v. 1. & seqq. 2. Cor. 6. v. 3. & seqq. & c. 11. v. 23: 1. Thess. 2. v. 11.) tum ipse hoc brevissimè indicat, 2. Tim. 4. v. 7. ubi inquit: Bonum certamen certavi, cursum consummavi: de reliquo, reposita est mihi justitia corona, quam reddit mihi Dominus, in die illo justus iudex. Hoc praeclarum exemplum cūm sequi omnes oporteat, quotquot ministri Christi 1. Cor. 4. v. 1. verē dici & esse volunt: quibus in votis est ita currere in studio sui muneris, ut neq. in incertum ferantur, neg. dum alijs prædicant, ipsi siant reprobi, 1. Cor. 9. v. 26. 27. & ad hoc omni conatu & studio se parare annituntur; in eorum igitur gratiam quædam ad placidam sententiarum collationem publicè proponere denio placet: que omnia ad hæc duo capita generalia, de quibus nihil dum hactenus à nobis actum est, revocabimus: I. De constantia in legitimè suscepto ministerio, & patientia in dimissione: II. De præmijs fidelium & poenis infidelium ministrorum.

A 2

I. DE

L. DE CONSTANTIA ET PATIENTIA. Ministrorum verbi & Sacramentorum.

THESES L.

POst doctrinam de fidelitate ministrorum, in omnibus officijs sui partibus legitime administrandis, hactenus publicè propositam, proximum est, ut de constantia in eadem agamus. hanc enim unicè desiderat à suis servis Dominus, Apoc. 2. v. 10.

2. Constantiae autem sive perseverantie, (quas alijs cognatas virtutes esse, sed tamen differre statuane, vide Thomam 2a. 2a. quæst. 137. art. 1. & 2.) nomine quid hoc loco intelligamus, neq; per se obscurum esse putamus, & evidentius id ipsum fore confidimus, si nonnulla distinctius exponamus; quæ ministerio in vocatione legitima constituto, eamq; fideliter obseruui, mutationem & inconstantiam quandam suadere & persuadere posse videantur.

3. Forum alia obvenire possunt vel ab interno animi & voluntatis ipsius, qui mutationem molitus est, principio, alia ab externo, eoz vel divine vel humano.

4. Internum animi & voluntatis principium moveri potest ad mutationem faciendam, partim sensu boni praesentis, nempe abundantie opum, tranquillitati otiosae, vel spe futuri boni, puta honoris amplioris, mercedu majoris, & similius: partim etiam sensu mali praesentis, vel imminentis, ut sunt dissidia collegarum, odia magistratus, incommoda, pericula, sive ab auditoribus, sive a loco, in quo degiez.

5. Externum vocamus, quod aut Deus immittit, modò mediate per desideria aliorum hominum operam pastoris alicuius in legitima vocatione fideliter versanti requirentium, modò immediate per pestem, & similia: aut homines, sive soli superiores, ut sit in persecutione, sive etiam inferiores unum cum superioribus, ut in abdicatione & dimissione ministri ejusdem: ubi patientia, ut in precedentibus prudentia & constantia, opus est.

6. Hisce ita pralibatis, ex quibus factis constare arbitramur, quæ hic dubitatione moveant, accedemus nunc ad quæstiones quasdam de hoc priori capite agitari solitas. I. Q. sit: An qui tempel ministerio se addixit, abdicare se ab eodem unquam in vita liberè & licetè possit? Resp. affirmativam placere nonnullis, qui sive quieti malunt quam ecclesiæ salutis consulere, experientia testatur: negativam nos tuemur.

7. Ceter-

7. Ceterum, ne illa ambiguitas vel in subjecto vel in praedictato relinqueretur, Ministrum Ecclesiae intelligimus legitimum vocatum, fideliter in officio versantem, facultate praestandi munere ad hoc satis instructum, ab ecclesia etiam diutius desideratum; sed sola voluntate ulterius inserviendi suis auditoribus destinatum: vel quia tñdet eum laboris & molestiarum, vel quia abunde ipsi suspetit, unde se suosq; sustenteret; vel etiam quia alijs carnalibus causis ad mutationem & abdicationem spontaneam permoveatur. Licitum autem censemus hoc loco, quemadmodum etiam liberum, respectu juris divini, quo uno ntitur conscientia bona, non humani ullius, aut etiam pœna: quam in ejusmodi inconstantes apud nos nullam constitutam ne vim.

8. Argumenta pro nostra sententia afferimus triplicia: testimonia scripturaræ, exempla ex eadem, & rationem. Testimonia sunt partim generales & communes sententiae apostoli, 1. Cor. 7. v. 17. & 26. Unusquaq; in qua vocatus est vocatione, in ea maneat: partim specialia & singularia Christi monita de perseverantia in officio, Matth. 10. v. 22. Qui persevera veritatem ad finem, salvabitur. Luke 9. v. 62. Qui manus ad aratrum admota retro respiceret, non est aptus ad regnum cœlorum. Apocal. 2. v. 10. Esse fideli usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vita.

9. Exempla probata sunt prophetarum & apostolorum, aliorumq;, qui munus suum non ante reliquerunt, quam cursum suum consummaverunt, ne de se praedicat apostolus; 2. Tim. 4. v. 7.

10. Ratio ex oppositu sit hæc: Vocare & ingerere seipsum in ministerium non est liberum & licitum. E. nec abdicare & relinquere semel susceptum ministerium est liberum & licitum. Valet consequentia ex eo, quod, quorum est vocare, corundem etiam est dimittere.

11. Q. An, cui loco & ecclesiæ suam operam primò quis addixit, eidem perpetuò sit jure devinctus? Resp. affirmamus secundum quid, negativam vulgo sequuntur. (vide etiam, si libet, decadem IX. D. Felicis Bidembachij, consilio I. quod est M. Martinij Hammeri: in quo octo argumentis docet, licitum esse migrare de una ecclesiâ in aliam, oblatâ legitimâ vocatione, pag. 21. & seqq. quæ omnia esse extra hanc questionem statuimus, in qua non controvèrtitur, An liceat aliquando migrare; sed, Quando id ipsum liceat: seu, Unde scire possumus, divinam esse, alio vocati vocationem.)

12. In subjecto questionis proposita repetimus, quod in præcedenti di-

12. *Sicut est, illud intelligi de ejusmodi pastore ecclesie, qui legitimè vocatus, ordinatus, & introductus est, atq; bis ipsis in dictis se isti, cui præest, ecclesia suam operam semel addixisse testatus est: sub quibus etiam comprehendimus, quæ vel ad interiore vocati ministri vocationem pertinent, qualia sunt duo: facultas & voluntas inferendi gloriae DEI & saluti hominum, vel ad exteriorum ecclesie vocatis vocationem spectant, quæ sunt totidem, nempe voluntas retinendi, & facultas sustentandi.*

13. In predicato similiter, ut ante factum, iuri divinum, quod datum appellamus, ab humano, quod usurpatum dici potest, distinguimus. illud respicit voluntatem DEI & tranquillitatem conscientie: hoc sequitur rationem corruptam, exempla aliorum, commoda incommode propria. de priori hic est questio, non de posteriori. Secundum illud nemisi legitimè vocato & similiter in vocatione versanti concessum esse statuimus, dum neutra conditionum requisitorum ecclesie, cui inseruit, deest: secus est, si alterutra defecerit. (Obiter autem notandum, hoc de ecclesiâ adulâ & bene constitutâ esse accipienda: diversa videtur ratio nascentis, aut non satis in omnibus ordinata: de qua infra dicetur parte 2. thes. 24.)

14. Argumenta communia huic sententiae firmandæ esse poterunt, quæ in praecedenti questione allata sunt: quæ enim constantiam in munere semel suscepto probant, cum tacite subintellectâ voluntate & facultate ecclesie vocant & retinent, eadem valent ad eam ipsam in loco semel plaito, qui muneri suscepso individualè conexus est, urgendam. Propria tamen sive peculia ria eidem magis corroborandæ addemus triplicia: exempla scripturæ, autoritates veterum & recentium, deniq; rationes.

15. Exempla scripturæ suppeditat hoc enthymema: *Mosi, propheta, & apostolis non licuit, quo voluerunt, ire; Exodi c. 4. v. 10. & seqq. Ieremie c. 1. v. 7. Iona c. 1. v. 4. c. 3. v. 3. Act. 16. v. 9. Roman. c. 1. v. 13: 2. Corinth. 1. v. 15. & seqq.* E. multò minus vulgaribus ecclesie ministris.

16. Auctoritates veterum legantur, causa 7. quest. 1. can. Non oportet, can. Si qui. can. Si quis. apud Euseb. lib. 3. de vita Constantini M. cap. 59: Nicephor. lib. 8. cap. 45: recentium, D. Lutheri T. 5. Ienensi germ. fol. 507. b. epist. 2a. ad Senatum quendam: Matthesij, qui in serm. 9. secundæ partis de vita Christi graphicè istorum vagorum individuorum levitatem & inconstantiam depingendo improbat & damnat: ejus verba repetuntur à M. Conrado Porta in pastorali Lutheri, pag. 23. b. Calvini epist. 209. D. Chyträei in epist.

in epistolis. pag. 150. & 678: ubi tamen argumenta saltē ab incommodis plerumq; comitabibus habet.

17. Rationes duas addemus: Prior: Nulli ministro licet citra consensū domini sui versari pro arbitrio in ejus domo, ex una parte in alteram migrando. Omnes pastores sunt ministri Christi, ejusq; sponsæ, ecclesiae. E. nulli eorum licet in ejus domo, quæ est ecclesia, pro arbitrio suo versari, migrando ex unā ejus parte in alteram, circa consensum Christi & ecclesiae. Posterior: Si ecclesia & loco, cui semel suam operam addixit pastor, non est jure devinctus perpetuo, habet hoc aut ex generali vocationis lege, aut ex speciali indulgentia & contractu singulari. Non hoc: nemini enim licet contrahere cum ecclesia vel ad eertos annos, vel indefinite ad quemcunq; ipse visum est terminum: ut alibi ostendimus: neq; illud, quemadmodum ex doctrinâ de vocatione constat, cūjus jus est pēnes solum D̄um, extrudentem operarios in vincam suam Matth. 9. v. 38. & transferentem eos quōlibet Act. 16. v. 9. Ieremi. 10. v. 23. idq; vel mediatè, vel immediate. E. pastori, cui loco & ecclesiæ semel suam operam addixit, eidem jure devinctus est perpetuo.

18. III. Quæst. An licet pastori sive ministro verbi, grassante peste, aliave contagiosa lue, vel omnibus, vel aliquas sui munieris partes, (v. g. visitationem agrotantium, peste infectorum, consolacionem sive moribundorum sive superstitione proper defunctos lugentium, & his affinia opera) intermittere, eorumq; curam alteri, quem Pestilentiale vocant, commendandam permittere? Resp. affirmativa nonnullis placet, cum certius tamen conditionibus, nimisnam, si vel plures sint collegæ in una parochia, quis consentiente ecclesia, inter se transigant, sive voluntario & libero consensu, sive eisam per sortem, qui nam secessione & fugi sibi consulere debeant: (August. epist. 180. in simili casu de fuga in persecutione: Lutherus T. 3. germ. Jenensi fol. 426. de hoc ipso problemate: Zanchius in epist. ad Philipp. c. 2. fol. 222. b. Vigandus de fuga ministrorum, in libro de persecutione & exiliis priorum, pag. 223.) vel ipsa ecclesia peculiarem hominem eligat, quem pestilentiale vocare solent, ex hoc munere, quod tempore pestis obit in visitandis regotis, ut ordinarijs suis pastoriis sibi q; consulat: negativa placet alijs, que conscientie videtur tutor.

19. Nos præ ea producemus argumenta triplicia: testimonia scripturæ, autoritates & rationes. Testimonia scripturæ sunt hæc: Ezech. 3. v. 2. & seqq. Actor. 20. v. 23. Heb. 13. v. 17. in quibus emphasin pronominum urgentes ita argumentantur: Qui, circa ullam conditionem temporis, pericu-

periculosis constituti sunt gregu Dominici pastores, eos ipsos oportet, citra ullam conditionem aut exceptionem quacunq; ita vigilare pro animabus omnium suorum auditorum, ut possint DEo rationem sui officij eo modo administrari reddere, quemadmodum illud acceperunt. Omnes pastores sunt, citra ullam conditionem temporis periculosi ecclesiae, constituti. E. oportet eos ipsos, citra hinc conditionem & exceptionem, eidem inservire: & per consequens, non oportet suo loco alias tempore periculoso constituendos permittere.

20. Auctoritates vide D. Lutheri, T. 3. germ. lenensi, fol. 426. a. in tractatu, Ob man für serben stiehen müge: D. Wigandi, in lib. de persecutione & exilio cum piorum tum facinorosorum alijsq; similibus quaestio-nibus, pag. 270. D. Binderi in c̄l no 10 yu theologico de causis pesti, pag. 96. D. Winckelmanni T. 5. disput. Giessens. disp. XIV. thesi 23. & seqq. Accedunt testimonia Calvini epist. 362. Bezae in tractatu de peste, pag. 30. Ursini exercitat. 24, parte pag. 514. Sohnij T. 1. in thesibus de hoc argu-meno, pag. 195.

21. Rationes sint bæ tres: Prima: Omnis rei licitæ causa oportet esse legitimam. Fuge hujus, non dico arbitrio proprio arrepta, sed concessæ per consensum ecclesiae, causa non est legitima. E. nec ipsa est licita. Assumptio ita probatur: Si causa fuge est legitima, oportet lege certa eam nisi, cum ratione petentia, tum ratione indulgentia. At neutrum horum: ille enim eam non habet, sed impellitur partim dissidentia erga Deum, partim confiden-tia sapientiae sue in querendis medijs ultra verbum Dei: qui fide respicere debet ut in promissiones divinas de protectione omnium piorum in vijs suis ambulantium, Psal. 91. v. 2. 3. 6. 11. & alibi: (vide alias consolationes D. Lutheri pro ijs, qui ex auditorib; timidiores in peste officia charitatis reformidant præstare alijs peste laborantibus, T. 3. germ. Jenensi, fol. 428. b. & seq.) hac verò eadem pariter destituitur: nec ultra vocem sponsi sui, præsertim ad incommodum suum, quicquam disponere potest. ubi enim lex divina non distinguit, conditionemve ullam adiicit, ibi neq; ecclesia est distinguere, conditionemve addere, Deut. c. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. Matth. 17. v. 5.

22. Secunda: Si ecclesia periculissimo suo tempore potest pastori sui opera carere, & pastori in eodem statu licet suas vicies alteri committendas per-mittere; potest idem, & quidam multò magis, si eti tempore non tam pericu-loso, & ita omnimoda cessatio ab officio indulgeri. At non hoc: quod partim ostendit ratio, que demonstrat, functionem unamquamq; in peragendis functio-nibus cu-

ne cujusq; partibus sive operibus consistere: partim iudicium & sententia no-
strorum de otiosis Pontificiorum episcopū. E. nec illud.

23. Tertia: Animam singuli de gregariis militibus & ovibus Christi de-
bent panere pro fratribus suis, t. Ioh. 3. v. 16. E. multò magis antesignani &
duces sive pastores eorum tenentur idem facere.

24. IV. Q. An ministro verbi liceat in persecutione fugere?
R. affirmativam defendit olim Athanasius, ut patet ex ejus apologia, quæ extat
in latini ejus operum editione Basileensi, fol. 321. negatur simpliciter à non-
nullis tributar Tertulliano (in horum numero est Perkinsius, vide lib. 2.
de casibus conscientiæ cap. 12. pag. 342: ubi Circumcelliones &
Anabaptistas eidem anaumerat in hoc opere) hisuæ opinionis
fundamentum allegant librum ejusdem de fuga, qui extat T. 5. operum ipsius
in editione Franekerana Fr. lunij, fol. 581: alijs tamen scimus videtur, qui eum
excusant: (vide P. Martyrem in L. C. classe tertia, loco XII. §. 27.
& Aretium parte 1a. problematum, loco 2. pag. 26. ubi Thame-
rum accusat, qui suæ duriori sententiæ tuendæ accommodarit
Tertullianum perperam) Augustinus distinctione uitetur in epist. 180. ad
Honoratum, T. 2: de qua paulò post plenius.

25. Ministrum verbi divini, qui per subiectum denotatur; ordinariam
loci & ecclesie, quæ persecutionem patitur, vel totam, vel in membro precipuo,
quod est pastor, sive unus sive plures, intelligi extra dubitationem possumus:
sub eodem tamen quomodo pium comprebendi posse non negamus. quod
exim illi deprebenditur lictum illictumve; id etiam certo respectu de quovis
fidi intellegendum est.

26. De illo itaq; in prædicato cum queritur, an ipsi concessum sit fugere
in persecutione, ut statu controversie rectius intelligatur, tria erunt explican-
da: unum, de specie mali, alia ratione licita ineuitabiliti: illi est persecutio
proper constantem fidei orthodoxæ confessionem: non autem bellum aut bar-
barica incursio sive irruptio: alterum est subjectum, certa ista mali specie im-
petum: quod potest esse vel tota ecclesia vel ejus pars, nempe ministri verbi,
sive unus, sive aliqui, sive omnes: tertium est modus & ratio evitandi illud
malum, qui constituitur in fuga & secessione corporali, & de quo dubitatur,
An & quatenus sit concessus, ut eo utens non offendat Deum, ecclesiæ & conscientiæ.

27. N.s cum Augustino alijs (vide Petrum Martyrem in L. C.
classe tertia, loco XII. qui est de cruce, ubi §. 19. & 20. suam sen-
tentiam exponit.) sentimus, in modo & causa secessionis sive fugæ toti ec-
clesiae communi, b. e. urgente universalis persecutione, remanentibus ovibus,

sive omnibus, sive plerius, pastoribus non esse fugiendum: illi vero migrantibus, his quoque esse commigrandum. In propria autem & peculiari ministeriorum, sive unius, sive plurium, modo aliqui supersint, qui pastendo gregi sufficiant, non modo licere docentibus furori persequentiū cedere, sed etiam auditorum esse, persecutionem patientes ante fugam celare sive occultare, & hanc adorantes omnibus modis juvare.

28. Porro qui secedere debeant, si omnes impetrantur, aut arbitrio ministeriorum, qui inter se de eo convenient, aut sorti committendum statim: ubi tamen, si fuga licita & verbo Dei consentanea esse debet, (de qua sola est assertio nostra) præter consensum ecclesie, de quo fugienti constare debet, probè ex vienndus est & examinandus fugienti suis animas & fuga seopus, ille ita comparatus esse debet, ut si remedium hoc non successere, sed Deus ad mortem & martyrum secessione sibi consulere volentem vocet, paratus sit etiam cum sequi: hic vero diuturniori vita hujus fruptione querenda, in primis & portimam Dei gloriam & ecclesie sive proximi commodi, non sursum, quod subcepit ex nimio amore vitae longioris & cura suorum prepostera, spiculare debet.

29. Argumenta pro tali fuga afferri possunt quadruplicia: Primum, ex præcepto Christi, Matth. 10. v. 16. & 23. Estote prudentes ut serpentes: (hi vero latebras querunt, cum sue vite insidias strui sentiunt) item, Quoniam persecuti vos fuerint in civitate hac, fugite in aliam.

30. Secundum, ab exemplis Eliæ, i. Reginum 19. v. 3. Salvatoris nostri I. C. Matth. 12. v. 15. cap. 14. v. 13. Pauli, Actorum 9. v. 25. qui persecutionem passi & ad mortem quæsti fugerunt: quod non fecissent, si omnis fuga esset illicita.

31. Tertium, ab auctoritate veterum, quales fuerunt Athanasius, de cuius fuga vide Souratem lib. 3. hist. eccl. cap. 6. Niceph. lib. 10. cap. 16. Tripartitam hist. lib. 6. cap. 22. & ejusdem defensionem in operibus ipsius loco ante allegato: Basilius M. in homilia de Gordio martyre: Augustinus in epist. 189 ad Honoratum, T. 2. & tract. 15. in labia, T. 9.

32. Quartum ex ratione duplex: Prior: Cujuscunq; operis principium; objectum, modus circa illud versandi, & siis est legitimus, illud est licitum. Fuge ministeriorum verbi à nobis hæc tenus certis conditionibus circumscriptæ omnia illa enumerata competunt: E ipsa est licita. Posterior: Manere in ecclesia, que re gloria Dei propaganda, sui commodi, tue conscientiae liberante. & hostium judicij non aggravandi causa, liberè dimittit, est illicitum. E. secedere ex eadem sub enumeratis condicionebus est licitum. Consequenter proba-

probatur ex convariorum moralium natura, qua talis est, ut si unum congruat cum lege, alterum necessario pugnet. (Similis est argumentatio Athanasij apud Socratem lib. 3. historiæ ecclesiast. cap. 6. Persequi & occidere impenitentem est peccatum. E. secedere & fuga sibi salutem querere non est peccatum.)

33. V. Q. An propter veritatis confessionem capiendus & deducendus in carcerem, captusve quispiam, sive pastor, sive auditor, possit se salvæ conscientia redimere precio? R. affirmant nonnulli, sed cum distinctione quadam & limitatione: negat Tertullianus simpliciter, in eodem lib. de fuga & persecutione, cap. 12. & seqq.

34. Subjectum hujus questionis est confessor veritatis, qui tamen ratione temporis, quo ipsi periculum carceris vel adhuc quodammodo futurum est, vel jam præsens minet, dupli iter considerari potest, ideoq; distinguimus in capiendum sive in carcerandum, & in captum.

35. Predicatum ratione personarum, quibus detur precium, similiter distinet intelligendum est: et sunt triplex: una index & actor: altera judex: tertia carceris custos. De incarcero concedant nonnulli, ut paciscatur & solvat premium indici & actori sive delatori, arg. ita se redimiat ab imminentे periculo: de incarcero negant, sive iudicem, sive ejus ministrum largiendo corrumpere velit & posse. (vide Dani Ilagogen parte IV. lib. 2. c. 45.) Tertullianus de incarcero quidem tantummodo negat, quia de eo solùm erat ibi questio: multo magis vero de incarcero idem negasset, si consultus fuisset. (Perkinsius in lib. 2. de casib. conscientia, cap. 12. sectione 3a. pag. 351. Scholasticis & Pontificijs affirmativam non obscurè assignat, quos scribit, sibi licitum statuere, carcereal effringere, si suæ in carcerem conclusionis causa injusta existat: idq; medium evadendi frequentissime apud Papistas usurpati solitum ibidem affirmat: quod tamen recte dici & fieri negat: in quo consentimus. Vide eundem, qui plura eo loco habet de signis fugæ illicitæ: ex quibus etiam de signis licite judicium fieri potest.)

36. Argumenta pro hac sententia suppetunt tria: Primum: Omne illicitum jure divino est prohibitum in lege DEI. At redimere vitæ hujus temporalis usuram, si in homines lucri & questus cupidos incidamus, adeò non est prohibitum, ut illud dicit et ratio. E. nec illicitum.

37. Secundum: Omnia medis non pati n cum pietate & honestate præ-
B 2
guantia

grantia in discrimine vice prudenter tentare licitum est. Dare insidiatori
vitæ, quod unice captat, præmium, est medium non palam pugnare cum pie-
tate & honestate: id quod ex decalogo patet, in quo nusquam ejus prohibitio
exstat. E. illud in discrimine vice prudenter tentare est licitum.

38. Tertium: Si persecutionem fugere & declinare omni piz & hone-
stata ratione licet, etiam persequentes fugere & declinare licebit eodem modo.
At primus, ut hactenus ostensum est. E. & posterius. Propositionis connexio pa-
tet ex eo, quod, quo modo finis, eodem modo media ad eum finem pertinentia
sunt licita.

39. De ijs, in quibus constantia est opus, hucusq; egimus: nunc de ijs bre-
viter, in quibus patientia necessaria est. VI. sit itaq; Q. An adio contra
quemvis ministerium verbi, qui videtur in taxandis suorum audi-
torum delictis justo vehementior, si danda & concedenda?
R: affirmavit usus & consuetudo vulgaris sequitur, nos diligendum cen-
sumus: ut parvè poterit parebit evidentius.

40. Ministeri verbi, de quibus S. V. B. P. E. C. T. V. M. loquitur, qui sunt, no-
tius, quam ut declarari opus sit: eorum verò cum magna sit diversitas, ut, de
quibus nostra distinctio afficeret negetur, intelligatur, determinationem
ejusdem ut evoluum peropere. Ea duo complettur, unum est, de parte
officii ministeriali, uti valde plurimæ necessaria, ita non parum ijsdem exosa,
que consistit in arguendis peccatis & reprehendendis peccantibus: alterum, de
modo ejus legitimo, quem reprobatione recte obseruatum putant:

41. Opus igitur ministri, an verò judicium auditoris, contra illum adio-
nem instituere volentis, vitio aliquo laboret, ex norma scripture ad utrumq;
adhibilia videndum est. rectum enim est index fai & obliqui: nec dubium esse po-
test, si factum illius ad istam regulam quidret, quin hujus judicium peccet: &
vice versa.

42. Normam, secundum quam reprehensione peccatorum & peccantium
recte institui possit, & secundum quam instituta certissime exigi debet, alibi
ex verbo DE pluribus descripsimus: hoc loco brevem delineationem secundum
recensionem principiarum causarum factam sufficere arbitramur.

43. Efficientis prima est autor ministerij, ex cuius insinuatu locuti sunt
prophetæ & Apostoli, Matth. 10. v. 20. 2. Pet. 1. v. 21, ita etiam alijs veri & fi-
dotes ministri ejusdem, qui sunt causæ ipsius instrumentales i. Cor. 3. v. 5.

44. Impulsiva est necessitas officij pastoralis & salutis hominum, Ezech.
3. v. 17. 1. Corinth. 9. v. 16. 2. Tim. 4. v. 2. de qua rationem domino suo red-
dere ceuentur, Heb. 13. v. 17.

118

45. Peccata & peccantes, quæ etiam materia circa quæam dicti possunt, sunt peccata & peccantes: non affectus pravus concionans aut mala suggestio & voluntas alterius. Peccatorum nomine intelligimus & opifices, i. Ioh. 3. v. 4. h.e. talia, quæ cum lege Dei verè pugnant, non quæ talia esse finguntur: eaq; atrocitas, publica, notoria, cum notorietate juris, quæ est vel ex concessione peccantis propria, vel ex testibus sufficientibus: tunc facti ipsis in publico loco, spectantibus alijs, commissi: non autem levia errata, aut occulta.

46. Peccantes itidem intelligimus talium peccatorum reos; i. Tim. 5. v. 20. eosq; oves istius ovitis, cui praest pastor, ne fiat ἀλλοτροπεῖσθαι Θ., i. Petri 4. v. 15.

47. Forma & modus circa personas dupliciter observari possunt: unus, qui sit generativi peccati speciem nominando, de qua corrigenda reus monetur: (Modum hujus describit Aug. T. 10. serm. 16. de verbis Domini: Palam loquor, & in secreto arguo: aures omnium pulso, sed conscientias quorundam convenio. Si dicerem, Tu adulter corrigere te: primo forte dicere, quod nescirem: forte, quod tecum audieram, suspicarer. Non dieo, Tu adulter corrigere te: sed, Quisquis in hoc populo adulter es, corrigere te: publica est correptio, sed secreta correctio) alter speciatim, in quo singularis, facti species secundum circumstantias ita describitur, ut ejus auctor & reus vix esse posse omnibus audiensibus incertus, sicut nomen non expresse addatur. Ille adhiberi solet & potest, quandoque est spes respicientia: hic vero debet, ubi signa apparent contaminatio.

48. Circa peccata etiam reprehendenda non unus idemque teneri debet modus. alia aperte & vivi coloribus depingenda, alia tecte perscringenda, quorum accuratior descriptio non necinem ad invitationem instrueret: alia lenius, alia acriter: quæ omnia certi reguli comprehendendi vix possunt, sed prudentiae & fideli pastoris, tanquam anatomarum medici, relinquenda, qui, quibus haec vel illa convenientia, usse exacte debet, & ut prudens architectus, fides diffen- sator, i. Cor. 3. v. 10. t. 4. v. 1. & 2. & oportuere & importunè instando, 2. Tim. 4. 2. adhibere: ubi nihil impedit, quod minus fieri possit omnia omnis, ut omnes lucretur, i. Cor. 9. v. 20. & seqq. modo prudentissimos & fidelissimos suos sive duces, sive consiliarios, tantopere ab Apostolo commendatos, πατέρις καὶ παιδείας, 2. Tim. 2. v. 25. seu, ut eosdem c. 4. v. 2. appellato, μέσον πάντων μηδεμίαν διδαχὴν, non aspernetur.

49. Finis est partim gloria DEI, de cuius justitia & iudicio adversus
in rem impietatem & injustitiam, quae etiam revelatur ē celo, Rom. 1. v. 18.
perpetuum in ecclesiā sonare debet testimonium: partim salus hominum cum
reorum & innocentium, cum immunitum & innocentium, sed scandalo offendic-
rum, inter quos, de quo agimus, curator anime non postremus, Ezech. 3. v. 2.
6. 34 v. 2: 1. Corinth 9. v. 27. 2. Cor. 11. v. 29.

50. Actionis sive accusationis, de qua in PRÆDICATO que-
ritur, contra ejusmodi zelotæ danda & concedenda, due possunt constitui par-
tes: quarum una est præparatoria, nempe querela delatio & ex hac citatio;
altera cognitio causa & cognitæ dijudicatio. de priori quoad citationem hic est
questio, non de posteriori, An permittendum sit, ut in jus sine discrimi-
nione voceantur quilibet ministri ecclesiæ, b. e. tam ij, quorum notus
exploratus est zelus secundum scientiam, Philipp. 2. v. 22, quam qui eo de-
stinxuntur, quod de ludeis affirmat Paulus, Rom. 10. v. 2. Affirmativam licet
praxis vulgaris probet, nos tamen negavimus, quod ad priores illos spectat,
veritati & equitati consentaneam statuimus.

51. Argumentum & fundamentum nostræ sententie unicum est apo-
stoli præceptum, 1. Tim. 5. v. 19. Adversus presbyterum accusationem ne ad-
mittito, nisi sub duobus aut tribus testibus, sive enim hic locus de epis. o. sive
de seniore accipiat, (incertum enim esse ait Erasmus in annotationibus, de
iuris loquatur: & concedendum foret hoc ipsum, si standum esset patrum judi-
cio, quorum alij cum accipiunt de presbytero etate, ut Cyprianus lib. 3 testimoni-
orum ad Quirinum, testimonio 76. Chrysost. & Theophylactus in explicat.
bujus loci, alij de presbytero dignitate, ut Ambrosius & Theodoretus in com-
ment.) inquit nostro nihilominus seruit, illo quidem sensu directe interdicit,
quod nos in erictu nō statuimus, dum accusationem adversus presbyterum (in-
tellige non nomine, sed re ipsa talem, ut indicat interdicti restrictio, quæ ad
ipsius querelæ fidem aliquam faciendam duos tresque testes requiri) admitti
non vult: hoc vero per indirectum suppeditat à majori argumentum. Contra
nullum etate seniorem est admittenda accusatio, nisi sub duobus aut tribus te-
stibus. Et multò minus contra seniorem dignitatem. (ubi iterandam putamus,
quæ paulo ante dicta est limicatio: Si constat de hoc, quod non minus moderari
nō sit suis affectibus quam ille, qui jam deserbuit, & tantam dignitatū sue ratio-
nem habere, quantum ille etatis.)

52. Accedit alterum ex causa legū: Qui, quod bene mereri de aliorum
eternas salute, totaq; ecclesia, unicè student, multorum insidijs & calumnijs
sunt

sunt obnoxii, contra eos non est, nisi sub dicta conditione, admittenda accusatio. De presbyteris bonis, & omnibus eorum similibus ecclesiae ministris, verum est illud. E. & hoc.

53. Denig, tertium à consequentibus incommodū adjungi potest: Quo ecclēsia, quanta quæcā est, quæ hoc nomen verè possidet, tantummodo offenditur & perturbatur, & quæ titulōtēnus eodem gaudet, in sua peruersitate confirmatur, & ad majores in ea progressu tentandos faciensq; incitatur: id non est permittrandum. actionibus sine discrimine contra eos, qui fidelitatis jure testimonium ab omnibus bonis habent, & qui eodem deſtituuntur, datis competit prius. E. & posterius:

54. V PL. Q. An fas sive pium & justum sit, exortâ publicâ inter concionatores discordiâ, de doctrina fidei, de ratione concionandi, alijsve ministerij partibus, de moribus, ita ut indicia illius in publicis concionibus non obscurâ apparetant, utramq; patrem, h. e. tam defensores veritatis & justitiae, quam falsitatis & injustitiae autores patronosq; removere & expellere? R. affirmatur: nonnullis placet, qui scandali amovendi & publicæ tranquillitatis promovendæ ~~et~~ specioso suam opinionem ornant, nobis negativa.

55. Argumenta pro ea deducimus ex lege divina scripta, ex lege naturæ non scripta, & ex ratione, cui tamen sua principia suppeditat sacra scriptura. Lex divina jubet audire fideles ministros non minus quam ipsum, à quo misit sunt, Lucæ 10. v. 16. eosdem injuriosè tangere vetat, Ps. 105. v. 15. Zalbarie & v. 12. vult nos cavere pseudopropetas, Matth. 7. v. 15. à fermento pharisaorū, c. 16. v. 6. redarguere & obiburare ora heterodoxorum, 2. Tim. 4. v. 2. Tit. 1. v. 11. clamare, non cessare, indicare populo defectionem, Esaiæ 58. v. 1. r. prebendit negligentes in hac parte officij sui tanquam speculatores taceos & canes mutos, cap. 57. v. 2. Ezech. 6. 13. v. 3. & seqq. interminatur eis penam condemnationis aeternæ, Ezech. 6. 3. v. 5. E. eadem sedules in hac sui officij parte, tanquam delicti alii ius reos, malo & calamitate affici veterat.

56. Lex naturæ dicit, bonos esse defendendos, malos puniendos, nec hos in illis perdendos, Genes. 18. v. 25. triticum unde cum zizanijs non esse eradicandum, Matth. 13. v. 29. E. quicquid contra hoc dictamen sit, illud ipsa improbat.

57. Ratio ex principijs theologicis sacrarum literarum desumpta idem confirmat hoc syllogismus: Quod gloria DEI; (ad quam pertinet libera veritatis ecclēsia confessio, & errorum refutatio) nocet, dilectionem proximi violat,

cjwq;

ejusq; scutarem impedit, exemplo scandaloso alijs similia molientibus prae*(de-*
nig; canibæ mutis & lupis rapacibus) ianuam aperit, illud est illicitum & injus-
tum. Ejectioni honorum magistrorum cum malâ male concordantium compe-
tunt priora omnis. E. & posterius.

58. *VIII.* Q. Qui, quibus de cauiss, quomodo & quando
per legium sententiam dimittere possint ministros verbis?
R. Subiectum hujus questionis cum sit quadrimembre, de singula erit sev-
sim agendum. Jus igitur, & potestas dimitendi ministros ecclesie
penes quos sit, dum queritur, per se satis evidens esse minime dubitamus,
jus illud supremum & potestatem ad hoc etiam, quæ est unius & solius
Dñi, non intelligi: sed de ministeriali & concessio tantum queri.

59. Dicussio cum duplenter fieri posse, nimirum, aut cum consessa
dimitendi, aut citra eum: de priori non est quæstio, quod ostendat adjecta
determinatio: & ex vulgari axiomate, quo dicitur, Ejusdem est dimit-
tere, cuius est vocare, planam est, penes totam ecclesiam, si jus & po-
testem ipsum attendamus, illud esse: cuius usurpatio ex cessione interdum esse
potest penes patronos, tanquam in anteriora ecclesiæ membra, non tamen exclusore
liquis corpore sed de posteriori: ubi, cū non rā de dimissione ejusq; jure, quā de cau-
sa dimissionis, controversia & lì incidit: omnī vero eis modi cauissarū litigiosarū
cognitio & decisio ad supremū ejusq; loci magistratum pertineat, hinc sit, ut, quo
dictum est sensu, jus dimissionis ad solos reges, principes, comites, aliosq; in ci-
vitatibus libertatis magistratus pertineat, qui idipsum per idoneos sive peritos iuri
divini & humani in Consistorijs vel presbyterijs administrare solent. est enim
magistratus custos utriusq; tabule, Deuteron. 17. v. 19. ad bonum atq; defen-
sionem omniorū subditū, si bene egerint, & ad malum atq; timorem, si male,
Rom. 13. v. 3. 4.

60. Caussæ dimissionis ad duos fontes revocari possunt: unus est defectus
facultatis utiliter inseruendi ecclesie, alter voluntatis, sive operum ipsius mi-
nisterialium neglectus intolerabilis.

61. Facultatis defectu comprehendimus partim doctrinæ sacre, in funda-
mentis libris praesertim, corruptelas sive errores pugnantes cum fundamento;
partim illius utiliter & cum fructu auditorum tradendæ organorum privatio-
nem, qualia esse potest vel animi, utpote ingenij, judicij, memorie, vel corpo-
ris, ut linguae, aliorumq; membrorum ad officij administrationem necessario-
rum usus, morbo aut calamitate aliquâ interceptus.

62. Voluntati appellatione complectimur cum enormem in demandati
muneris

muneris partibus exsequendis negligentiam, tum vitæ & morum turpitudinem,
sive ea tantum ecclesiæ scandalosa, sive etiam civiliter damnabilis sit.

63. Hæc vero allegatas causas, sive utraq; sive alteram etiam, justas
esse dimissio ex pari colligimus. quod enim valet ad legiimum vocando im-
pedimentum effundum, idem ad vocatum abdicandum valere debet. At
vel alterutra, vel utraq; causa valet in priori casu. E. etiam in posteriori.

64. Modus in hoc gravissimo negotio idem observari debet, qui in alijs
actionibus judicialibus: ut cognitio cause legitima precedat sententia lationem.

65. Cognitio autem ut sit legitima, necesse est, ratione rei sive deponendi,
causam ex recensitu aliquam esse quodammodo notoriam & manifestam, nam
de plane occulto non judicat ecclesia.

66. Actorem certum extare minimè necessarium est, ubi ipsum crimen
palam clamat: satis est, si de eo constet aliquid Superintendenti aut Consistorio,
sive inquisitione propria ex officio, sive rumore publico, sive delatione & indi-
cio unius aut pluriū de ecclesia.

67. Testes autem criminis locupletes & omni exceptione maiores esse oportet,
eosq; è numero auditorum, sive de ecclesia, cui præest pastor: quamvis &
alij idonei non reiciendi.

68. Iudex deniq; talis requiritur, qui & sciat & velit, utraq; parte, si ne-
cessitas flagitat, audit a jux administrare, idq; nō secundum gratiam aut odium,
sed secundum iustitiam, Exodi 23. v. 6. & seqq. Deut. 17. v. 11. Paralipom.
19. vers. 6.7.

69. Tempus depositionis & dimissionis quodnam sit justum & legitimum,
ex dictis patet. tum enim deniq; reum dimitti fas est, ubi criminis alicuius,
aut defectus neglectusve intolerabilis sufficieret convictus fuerit, & ecclesiam
scandalum tolerare non posse, ipsum reum admonitum illud corrigere non velle,
deprehensum fuerit.

70. Processus deniq; qualis esse debet, ipsa ratio indicat, & ostendunt
statuta agendorum ecclesiasticorum & consistorialium. (vide etiam, si liber,
Calvini epist. 382.)

71. IX. Q. An ab officio etiam injuste remotus, & è regione
aliqua abire à Domino territorij jussus, nihilominus in ea, salva
conscientia, manere possit? Resp. Affirmativa nonnullus placet: nega-
tiva nobis.

72. Argumenta pro hac afferimus triplicia: Primum est à man-
dato divino, Matth. 10. v. 23. Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite
in a-

in aliam: quod Lub. T. 3. Germ. lenensi, fol. 126. a. arget: Er spricht nicht / Wenn sie euch in einer Stadt verjagen/ so bleibtet darinnen/ vnd nem-
met die Stadt ein dem Evangelio zu lobe/ vnd rötet euch wider die
Herrn der Stadt/ wie man ixt thun wil vnd lehret/ Sondern fliehet/
fliehet jimmer so fort in eine andere. 1. Pet. 2. v. 18. jubet servos obedire
Dominis, non tantum moderatis & equis, sed etiam duris.

73. Secundum ab exemplis sanctorum fugientium, ut Apostolorum, a-
liorumq; piorum, Acto. 8. v. 5. qui dispersi peragabant (regionem) predi-
cando sermonem Evangelij, & Apostolus Paulus Damasco fugiens Hierosoly-
mam contendit, cap. 9. v. 25. 26. & de alijs sanctis restatur epistola ad Hebr.
cap. 11. v. 38. quod persecutionem patientes oberrarent in solitudinibus, mon-
tibus, speluncis, & cavernis terra: idem confirmant exempla Athanasij,
Chrysostomi & aliorum.

74. Tertium ab ipsis rei indignitate & incommodis consequentibus:
Mansio invito Domino terra est indecora Evangelio sive verbo DEI unicagi,
quod suum est, reddere jubenti, Matib. 22. v. 21. Rom. 13. v. 7. & omnibus
in eminentia constituti parere mandanti, ibid. v. 1. Petri 2. v. 13. pericu-
sa alijs, praesertim infirmis, ut nihil dicamus de malitiosis & ad seditionem
pronis. E. nequaquam licita.

II. DE HONORIBUS ET PRÆMIIS fidelium, pœnisq; infidelium ecclesiæ ministrorum.

DE Ihesu, que ad sacrosanctum verbi divini ministerium fideliter consta-
tergo administrandum pertinent, postquam pro instituti nostri ratione
bucusq; actum est, restat ut de præmia fidelium, & velut ex abundanti de pœ-
nis infidelium agamus.

2. Præmium, quod boni rationem habet, ejusq; species quedam est, distri-
bui potest ut ipsum genus, in tres velut fontes: quorum primus est honesti,
secundus jucundi, tertius utili.

3. Sed præterquam quod intermedius ad postremum revocari potest, etiam
de ipso controversæ questiones nobis non occurunt. itaq; de ihs tantum agemus,
que honestatem dignitatemq; hujus ordinis sacrosancti O laborum rectè suscepto-
rum fideliterq; ex analatorum remunerationem temporarium & eternamq; con-
sernunt.

41. Q.

4. I. Q. proinde sit : An clerici sint iure divino liberi à jugo potestatis secularis ? R. affirmant Pontifiorum præcipui, cum certamen conditionibus & restrictionibus : (vide Bellarminum lib. 1. de clericis, cap. 28.) nos negamus.

5. Clerici, de quibus S. M. loquitur, & qui eū opponuntur Laici, qui, & cui ita dicantur, Bellarminus lib. 1. de clericis c. 1. expōnit hū verbū : Laici dicti sunt quasi plebeij ac populares, quibus nulla pars functionis ecclesiastice demandata est : à græco λαϊς, quod populum latinis significat. Clerici autem quasi Domini sors & hereditas, qui divino cultui consecrati, procurandæ religionis & rerum sacrarum, D[omi]no ipso jubente, providentiam ac sollicitudinem suscepunt : à græco κληρος, quod latinis sortem sive hereditatem sonat. Hæc ille.

6. Alij ea in hunc modum corrigenda censem, ut clericorum nominis originem inde esse statuant, quod ipse sorte vel sortitione ex populo electi & excepti essent ad ministerium in populo DEi, Actorum cap. 1. v. 47. (vide Augustinum in Psal. 67. & Hieronymum in epistola ad Nepotianum) hanc nominis hujus etymologiam peritam à sortiendi ratione & per eam constituendi electos in ministerium sequitur illa altera, quam Bellarminus probat, nam ex quo per sortem incolipati sunt ministerio sacro, non solum ipsi sunt sors Domini, sed etiam ipsorum sors est Dominus singulari vocationis illius iure. (vide etiam Lutherum T. 5 germanico Jenensi, in Psal. 82. fol. 76. a.)

7. De his, qui tales sunt, non nomine solo, sed re ipsa, b. e. fidèles ministri ecclesie, queritur in PRAEDICATO, An sint liberi à jugo potestatis secularis, idq; num iure divino, an humano.

8. Libertas illa sive immunitas spectatur vel in personis sive clericis ipsis, vel in eorum bonis.

9. Personarum immunitas hoc loco consideratur respectu causarum, sive negotiorum, que sunt vel ecclesiastica, vel politica. Illæ sunt, quæ ad conscientiam pertinent, & non nisi ex verbo DEi, legitimè definiri possunt, ut nos censemus : Bellarm. vero præter verbum DEi etiam canones Pontificum & Conciliorum assumit : quod rectè fieri negamus: suntq; ejusmodi controversiae de fide & de disciplina ecclesie : hæ verū, quæ ad res civiles & oeconomicas pertinent, & ex legibus magistratus politici legitimè decidi possunt & solent in iudicio civili.

10. De prioribus affirmsat Bellarminus, clericos esse liberos iure divino à seculari principiū potestate : (vide propositionem primam) cui assenti-

mur, si causas verè & propriè ecclesiasticas tantum intelligat, non alias à conscientia foro alienas, nec in verbo DEi definitas: de posterioribus negat eosdem esse exemplos ab obligatione civilium legum, quae non repugnant sacris canonibus vel officio clericali. Exempli, quibus haec declarat, apud ipsum vide.

11. Talibus legibus, si de ipsis rebus non disposuit ecclesiastica lex, teneri ait clericos obligatione directiva, non coactiva (vide propos. 2am.) h.e. quod ad obedientiam, non quod ad paenam, non enim posse clericos à judice seculari puniri vult, (vide propos. 3am.) etiam si leges civiles non servent, peccantq. vel civiliter vel criminaliter: id quod lege Canonica constitutum esse dicit, licet Imperatorum constitutiones dissentiant, quae in civilibus executionem & immunitatem concedant, non in criminalibus, ubi volunt à praetore cognosci causam, non tamen condemnari clericum, nisi prius ab episcopo degradarum: id quod nos sacris literis consentaneum negamus, qui quantum exemptionem fori civilis aliquam ministris ecclesie alicubi indultam, in politicis etiam causis, haud ignoramus, quae in consistorijs, non in judiciis provincialibus cognosci desinunt, solent, tamen eo privilegio à coactione & pena non sunt liberi: & hæc ipsa exemptione est ex magistratus politici gratia, & proinde in potestate ejusdem, qui eam vel in omnibus vel in certis casibus mutare potest.

12. Bonorum clericalium immunitas consideratur præcipue vel in tributis, quæ solvuntur ex agris, prædijs, alijsve possessionibus immobilibus atq. mobilibus, inò in ipsis personis & capitibus, (quam speciem hic resert Bellarm. propositione quarta, cum sit onus personale, non reate) vel in vectigalibus, quæ pendantur pro mercibus exportandis & importandis, sive ordinariè, quæ jussu legum semper numerari solent, sive extraordinariè, quæ tantum ad presentem aliquam necessitatem exiguntur, & postea desinunt.

13. In hisce omnibus, tum quoad personas, tum quoad bona, exemptionem clericorum introductam affirmat Bellarminus, in postrema editione: (in prioribus enim aliter sentit) jure humano pariter & divino: (vide propos. 5am.) licet ante Iustiniani tempora tributorum personalium immunitatem solam, non rerum & possessionum fuisse usitatam agnoscat. (proposit. quarta.)

14. Nos de æquitate hujus immunitatis non pugnamus, si eam ecclesiæ ministerijq. necessitas flagitat, de qua magistratu politico judicandi potestas est concessa: jus verò, quod Bell. expresse in sacris literis non existere concedit, sed tantum ab exemplis & testimonij Vetus. & N.T. per quandam similitudinem, deduci posse, immo etiam in jure naturæ fundatum esse ait, defendantum nobis nequaquam sumimus.

15. Ar-

15. Argumenta nostra aliorumq; nobiscum h̄ic sentientium sunt duplia:
alia enim probatur jure divino personas, alijs bona clericorum non ex-
mi à jurisdictione principum secularium sive laicorum.

16. Prioris ordinis sunt triplicia: testimonia scripturæ, exempla ex
eadem, & rationes. Testimonia sint hæc duo: (1.) Roman. 13. v. 1.
Omnis anima potestatis sublimioribus subditæ sit: quod Chrysost. in homilia,
super eum locum ait, dici non tantum laicū, sed etiam clericū & monachū,
ipſis etiam Apostoli & Evangelistis. (2.) ex 1. Pet. 2. v. 13. Subjecti estote o-
mni humanae creature propter DEum, sive regi, tanquam præcellentí, sive
ducib; tanquam ab eo missis. Hinc ita argumentamur: Omnis anima, id
est, omnis homo est subditus principib; secularib; excepto nemine, teste
Chrysost. Omnes clerici sunt homines. E. omnes clerici sunt subditi principi-
bus secularib;.

17. Exempla ex scriptura adducemus quatuor: (1.) Primogenito-
rum, qui in lege naturæ, b. e. ante Mosaicam legem scriptam fuerunt sacerdo-
tes, nec tamen exempti à majorum suorum potestate. (2.) Levitarum, qui
non solùm Aaroni Pontifici, sed etiam Moysi principi Iuda oruū civili erant
subjecti. (3.) Christi, qui quamvis caput esset sacerdotum, tamen Pilato se
subjectum faretur, Iohannis 19. v. 11. quod tamen de voluntaria ejus cessione
& submissione tantum affirmamus, non ignorantes ejusdem eminentiam ex
jure naturæ, de qua cum Petro agens loquitur, Matib. 17- vers. 25. & seqq.
(4.) Apostoli Pauli, qui cum esset praeful ecclæstasticus, dixit se eponere coram
tribunali politico judicari, nec timuit appellare Cæsarem, atq; ab eo judicari
se debere, liberè confiteri, Actorum 25. v. 10. 11.

18. Rationes duæ: una: Nulla lex divina eximit clericos à juridi-
ctione principum laicorum: & sunt multæ Iustiniani in Codice & Authenticis
quæ ostendunt, eos Imperatoris jurisdictioni suisse subjectos. E. jure divino non
sunt exempti.

19. Altera: Baptismus & ordo clericorum; (hoc est, vocatio commu-
nuni omnium Christianorum, & propria ministrorum verbi) non liberant ho-
minem ab alijs debitis, sive civilibus, qualia sunt servitatu, pecunia, & simi-
lium, sive æconomicis & conjugalibus mariti, uxoris, liberorum. E. nec à
subjectione debita magistrati.

Posterioris ordinis itidem erunt tria: testimonia, exempla, &
ratio. Testimonia producimus duo: (1.) Matth. 22. v. 21. Date Cæsari,
quæ sunt Cæsaris. (De quo vide Urbani Pontif. sententiam, 23. q. 8.
cam. Tributum. quam citat Bellarm. lib. 1. de clericis cap. 28.)

(2.) Röm. 13. v. 7. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum , tributum eni^m vectigal , vectigal : cui timorem , timorem : cui honorem , honorem. Ex quo dicto t. s. le argumentum formamus : De quibus loquitur Apostolus v. 1. de ijsdem loquitur v. 6. ubi ait , Ideo tributa praestatis , ut manifestè appareat ex particula illativa , Ideò , teste Bellarmino . At in v. 1. loquitur de omnibus animalibus sive hominibus circa exceptionem , teste Chrysostomo in hunc locum , cuius interpretationem veram & genuinam esse agnoscit Bellarminus . E. etiam v. 6. & proinde subsequens v. 7. eosdem compellat , quando dicit , tributum esse solvendum , cui debetur.

21. Exempla totidem : (1.) Christi , (2.) Petri , Matth. 17. v. 27. ubi staterem in ore pisces inventum solvit Apostolus pro Domino ; & pro se.

22. Ratio : Immunitas bonorum clericalium est ex gratia Imperatorum , fatente Bellarmino in quarta propositione , ut supra in explicatione status indicatum est . E. non est ex jure , sive divino , sive humano . Consequentia patet ex eo , quod gratia & jus hic sunt quodammodo opposita , & proinde se mutuo tollentia .

23. Addi bis ex abundanti potest testimonium Bellarmini , qui in editionibus prioribus disserit fatetur , nullum DEi verbum posse proferri , quo ista exemptione & immunitas , quod ad bona , probetur : & in ultima idipsum tantum per similitudinem quandam deduci posse ait ab exempli vel testimoniis veteris aut N. T. (vide propos. quintam ejusdem .)

24. I. L. Q. An ministris ecclesiae fidelibus liceat accipere stipendium ? Nos affirmamus : Anabaptiste negant , ut docet Vigandius de Anabaptismo , pag. 8 ex Embdenensi colloquio , & confirmat Danæus in comment. super i. Tim. 5. pag. 307. item Paræus in comment. i. Corinth. 9. columnæ § 34: quibus consentiunt Vallenses , ut affirmat de ipsis Martyr L. C. T: i. classe 4. loco secundo , §. 34: Inter hos quasi intermedij sunt nonnulli , qui distinguunt , & quod alias per se semper licitum esse concedunt nobiscum , id aliquando per accidentem & in certis casibus illud volunt , nempe si ecclesia vel primum plantetur , & auditores nondum intelligent dignitatem & necessitatem ministrii , & proinde ad conferendum stipendium alendosq; ministros sint difficiles , aut etiam putene , mercedem esse compensationem charismatum spiritualium : vel plantata non sufficiat ad sustentandum suum pastorem , ad quod se teneri agnoscit , & prompta foret , nisi egestate impeditur : hic petere & requirere stipendium , eog; denegato operam ecclesie denegare suam si quis volet , ut se DEi glorie in propagando Evangelio & hominum salutis minorem , quam sui rationem

rationem habere declarabit: quod est illicitum: vide P. Mart. loco paulo ante allegato §. 4. cuius sententiam veritati consentaneam arbitramur.

25. Ministri fideles à nobis inelliguntur, qui omnes sui munera per res, (de quibus; quamnam illæ sint, & quo modo legitime obeundæ, alibi egimus) sedulè præstant, quantum possunt: id quod unice in dispensatore mysteriorum DEi requiritur, 1. Cor. 4. v. 2.

26. Licet his accipere stipendium ab ecclesia benè sive mediocriter constituta dum dicimus, ut mens nostra fiat evidentior, duo explicanda evidentur: unum de modo conferendi, alterum de animo rectè accipiendi.

27. Modus conferendi triplex videtur esse usitatus: vel enim de novo conserfi necesse est ab auditoribus ad salario ministrorum: vel ex collatio olim ad hunc & ad alios usus numeranda sunt stipendia: vel deniq; utreq; modo providetur necessariae & honestæ ministrorum sustentationi. Omnes & singulos clericos statuimus: an verò ubiq; & semper sint pariter utiles, dubitamus.

28. Modus rectè accipiendi qui intelligatur, (ne quod per se licitum est, ex accidenti fiat quodammodo illicitum & vitiosum) patet ex Ioban. 21. v. 15. 16. 17. 1. Petri 5. v. 2. August. tract. 123. in Iobannem, Chrysost. lib. 2. de sacerdotio: nempe, qui ex amore DEi gloriæ & salutis hominum procuranda potissimum impellitur ad suscipiendum ministerium, non ex cura & studio querendi quæ sua sunt, quod verat apostolus, 1. Corinth. 10. v. 24. Et hujus vii plurimos faisse reos suo tempore conqueritur Philip. 2. v. 21. (vide locum elegantem, apud D. Lutherum T. 6. Germ. Jenens fol. 39. a.)

29. Argumenta pro hac sententia afferemus triplicia: testimonia, exempla & rationes. Testimonia suppetunt tam ex veteri, quam ex N. T. Ex veteri sint hec: Numer. 18. v. 31. exstat ordinatio divina, his verbis: Comedetis ipsas (decimas) in quovis loco, vos & familia vestra: nauicraces est vobis pro ministerio vestro, in tentorio conventus. Deuteron. 18. v. 1. Ne esto sacerdotibus leviticis, toti tribui leviticæ pars & possessio cum reliquo Israële: ex igne absumentib; lebora & de possessione ejus comeduntio: quod ecjus apostolus repeatit 1. Cor. 9. v. 13. affirmans, dominum ordinasse, ut qui alitari servit, de alitari vivat. & hoc sensu ex V. T. commemorata illa allegata voluntus, ut genus inde probemus, non speciem, quam abrogatam scimus.

30. Ex N. T. sufficit Christi sententia, Mathe. 10. v. 10. Dignus est operarius mercede sua. Lucæ 10. v. 7. Manete in ea ipsa domo edentes & bibentes, quæ ab ipsis (apposita fuerint.) dignus enim est operarius mercede sua. Hanc magistri sententiam explicat ejus apostolus & discipulus 1. Cor. 9. v. 7. & seqq.

usq; ad

assig ad v. 14. in quibus ex natura & scriptura ejus jus deducit. Gal. 6. 10. 16.
Communicet autem, qui instituit in sermone, ei, qui ipsum instituit, omnia bona. 1. Timoth. 5. v. 17. 18. Qui bene præsent presbyteri, dupli honorare digni sunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina dicit enim scriptura, Boni trituranti os non obligabis: & Dignus est operarius mercede sua.

31. Exempla itidem ex utroq; Testamento afferri possunt.
Ex V. T. sacerdotum & Levitarum, qui ex redditibus & preventibus lege ceremoniali imperati vivebant: qui quam ampli fuerint, evidentius apparebit, si eos in duas classes distinxerimus, & quid ad unamquamq; pertinuerit, ad umbras verimus. Alienam fuerunt statim & certi: alij velut ambulatorij & quodammodo dubii.

32. Prioris generis sex referemus: (1.) erant decimæ agrorum, vinearum, olivectorum, hortorum, Num. 18. v. 21. & seqq. (2.) primitia, Numer. c. 5. v. 9. 10. c. 18. v. 8. 11. (3.) Portio certa ex primogeniti gregi, jumentorum offerendorum Domino, Deuter. c. 15. v. 19. 20. & pecunia pro redēptione primogenitorum ex hominibus, Exodi c. 22. vers. 29. c. 34. v. 20. (4.) Pectusculum & armis dexter ex hostijs pacificis, Levit. 7. v. 31. & seqq. c. 10. v. 14. 15. (5.) Panes propositionis duodecim per singula sabbata apponendi, Levit. 24. v. 8. 9. (6.) Carnes restituæ ex sacrificijs & panes azymii in canistro consecrationum, Exodi 29. v. 32, Levit. 8. v. 31.

33. Posterioris generis duæ occurunt (1.) voluntaria oblationes, Deut. 12. v. 17: quò etiam referemus votiva & Domino consecrata, eorumq; redempturas certa pecunia summa, Levit. 27. per totum. (2.) sacrificia cum pro delicto, tum pro peccato, Levit. 7. v. 32. Deut. c. 18. v. 3. c. 23. v. 13. item restitutio defraudata rei, cum quinta parte pretij superaddita, Numer. 5. v. 8.

34. Ex N. T. produci potest exemplum (1.) Apostolorum, qui omnes una cum uxoribus, quas habuerunt, ecclesia sumptibus sustentatis fuerunt, 1. Cor. 9. v. 4. & seqq. (2.) Pauli, qui quamvis à Corinthijs, Ephesijs & Thessalonicensibus non acceperit, sed nocte & die laborat, ne quenquam gravaret, Act. 20. v. 33, 34. 1. Cor. 4. v. 12. c. 9. v. 18. 1. Thess. 2. v. 9. 2. Thess. 3. v. 8: tamen ab alijs cum acceperit liquet ex 2. Corinth. 11. v. 8. Philip. 4. vers. 10. 14. & seqq.

35. Rationes, quas ipsa scriptura suppeditat, sint hæ quatuor: Prima à genere: Omnis operarius dignus est & cibo, Luca 10. v. 7. & mercede, Matth. 10. v. 10. Ministri verbi sunt operarij, Matth. 9. v. 38. E. digni utroq.

36. Secun-

NB.

36. Secunda à pari: Nemo militum militat circa stipendium: nemo
vinitorum excolit vineam circa fructus ex ea participationem: nemo pascit
gregem, nisi comedat de lacte ipsius. E. pari jure fruuntur ministri in sua mili-
tia, cultura & pasta spirituali.

37. Tertia à minori: Bovi triturantios non est obturandum, Deut. 25.
v. 4: i. Cor. 9. v. 9. 10: i. Tim. 5. v. 18. E. multò minus deneganda est merces
laboranti ministro.

38. Quarta ab aequo & justo: Qui spiritualia seminant, eosdem carna-
lia metere fas & jus est. Rom. 15. v. 27: i. Cor. 9. v. 11. Ministri verbi faciunt
illud. E. meritò hoc percipient.

39. III. Q. An decima ex justitia debeantur sacerdotibus,
seu ministris verbis, ut rectius hodie loquimur) an vero sint do-
na indebita, gratuita, sive puræ eleemosynæ? R. Bellarminus affir-
mat prius lib. i. de clericis, c. 25. (Wilhelmus Zepp. l. 4. c. 10. expla-
nationis Mosaicarum idem facit) posterius olim afferuit VViclus, ho-
die tueruntur Anabaptistæ & Antitrinitarij: nos neutrū propugnamus, sed con-
ferendum ad sustentationem ministeriorum, quibz debetur merces, Matth. 10. //
v. 10. & alibi: modum & quantitatem ex pietate, charitate & commoditate //

metiendam statuimus.

40. Decimorum nomen cy ταλάτιαι sumitur hoc loco, teste Bell. l. i.
de clericis cap. 25. pag. 148. pro ijs, quæ debentur vel juxta quantitatem lege
divina determinatam, quam Ecclesia (Romana) innovavit, ut sit, ubi sol-
vuntur integræ decime: vel juxta quantitatem consuetudine loci determina-
tam, ut sit, ubi solvitur minus quam decima, & tamen vocatur decima.

41. Debet ex justitia quid sit, ex contrario, ne mpe indebito & gra-
tuito, liquet: Sacerdotum autem appellatio quid complectatur, non ita no-
rum putamus stili Pontificij ignari: qui si consulant Bell. lib. i. de clericis c. 15,
& c. 25. deprehendent hoc nomine alias quidem denotari tam maiores, quos
nunc Episcopos dicunt, quam minores, quos presbyteros appellant: hic vero uni-
versum clerum, cuius omnes ordines ad duo primaria genera revocant, ad
sacerdotes & ministros: quorum illud subdividunt in duas species analogas, in
summos sacerdotes, & simplices sacerdotes: istud vero in sex alias species, in
Diaconos, Subdiaconos, Acolutos, Lectores, Exorcistas & Ostiarios. Hanc
universam turbam clericorum Monachis contradiinctam hic intelligi patet ex
Bell. l. i. c. 25. Nos, qui nego sacerdotibus propriè ita dicta locum in N.T. esse
statuimus, sublati jam sacrificijs, & ordines illos cleri supervacaneos automa-

in u; generali ministeriorum verbi appellatione omnes comprehendimus qui ecclesijs & scholis fideliter serviunt,

42. Explicato subjecto prædicatoq; proximum est, ut argumenta affirmantis Bellarmini paucis expendamus. Ea sunt triplicia: Primum ex jure naturæ: Qui pro populo laborat, ijs populus alimenta debet. Ministri verbi non minus pro populo, quam reges & principes laborant. E. ijs populus alimenta debet. Argumentum hoc illustratur exemplo Abrahams dantis Melchisedecis sacerdoti decimas ante latam legem, & hoc ipso monentis, quid nos facere debeamus, teste Chrysostomo homil. 35. in Genesim. R. Argumentum ipsum laborat ignorantie elenchi de genere concluditur, nempe, deberi laborantibus stipendum: de specie & quantitate est: quæstio. Illustratio ejusdem si ad speciem ex genere deducendam affertur, m. l. concludit. non enim affirmativè à genere proceditur ad speciem: & liberum fuit nondum lata lege, & post, eadem abrogata, quod necessarium erat, eadem vigente.

43. Secundum, ex jure divino, & quidem primum ex V. T: Leviticus ult. v. 30. & seqq. Num. 18. v. 21. Malach. 3. v. 10. jubet Deus Levitis V.T. decimas dari. E. etiam ministris N.T. eadem dari voluit. Consequentia probatur dupliciter: 1. quia fundamentum legi est morale; 2. quia justitia Christianorum debet abundare plus quam scribarum & pharisaorum, ut confirmat Clemens lib. 2. constitutionum apostolicarum, cap. 29.38.39. lib. 8. cap. 36. Hieron. in cap. 3. Malach. August. serm. 219. de tempore: Gregor. homil. 16. in Evang.

// 44. Deinde ex N. T: Matth. 22. v. 21. Reddite, quæ sunt Cæsari, Cæsari, & quæ sunt DEi, DEo, cap. 10. v. 10. Dignus est operarius mercede sua. // 1. Corinth. 9. v. 7. & 14. Dominus ordinavit, ut, qui Evangelium annunciant, // de Evangelio vivant: Et, Quis militat proprijs stipendjs?

45. R. Propositionis omissione consequentia laborat fallacia parium caussarum. in V. T. decimarum dandarum jus fuit non naturæ sine morale, sed ceremoniale, fundatum in distributione terra Canaan inter duodecim tribus filiorum Israëlis, quæ omnes habebant suam peculiarem portionem, sola Levitica excepta, cuius portio erat Dominus, Num. 18. v. 20. Deut. 18. v. 2. quod ipse Bellarmius in hoc ipso cap. 25. dubio 4. pag. 150. agnoscit. huic populo quia ad cultum divinum serviebant Levites, jus naturæ quidem dictatur, ipsis aliquid datum: modum vero & quantitatem, de qua sola est quæstio, definit illa propria distributionis terra Canaan: cui par in N. T. ostendi nequit.

46. Probatio consequentiae prior conceditur de genere: at de specie est controversia: posterior, præterquam quod fundamento expositionis false innititur, (siquidem Matth. 5. v. 20. de justitia illa operum non agit Christus.) valeat in-

contra.

contrarium. si enim abundare Christianorum liberalitas erga ministros debet,
supra Iudeorum erga Levitas & sacerdotes, & bi praece debeat solvere de-
cimas, nostri easdem praece non iententur solvere.

47. Allegatio testimoniorum ex N. T. laborat ignoratione elenchi. agunt
enim de genere, cum quassiosit de specie.

48. Tertium ex jure Ecclesiae, sive decisionibus Conciliorum, & decretis
Pontificum. R. est fallacia consequentis. decreta illa, quia fuerunt aut particulari-
via certarum regionum & nationum, aut hominum, quorum interest, nempe
Pontificum, eisq; adhaerentium, neq; omnes obligant, neq; justa dici possunt.

49. IV. Q. Ad possessiones ecclesiasticas, quæ dono laicorum
possidentur a clericis, habere licet? R. Bellarmine lib. i. de clericis
c. 26. affirmat: negavit enim Ioannes VVicarus, qui, referente Jesuita, docuit,
non licere clericis habere ultas possessiones, & peccasse, tam qui eas donave-
runt ecclesie, quam qui eas reeperunt: quam tamen ejus sententiam fuisse
negat Lambertus Danæus, qui vult VVicelsum ex hypothesi tantum ita dispu-
tasse, & damnasse nimias Clericatus opes: quia animadvertis, quantas ec-
clesia ruinas intulissent: quam ejus sententiam imperite & malitiosè detorque-
ri ait ad thesin à Bellarmino. Nos & donari ecclesie, & donata possideri ab
eadem posse bona conscientia statuimus: ita ut dominium & mancipium ipsius
sit, de usu & fructu tantum elargiatur minister in ecclesia & scolis fideliter
laborantibus, quantum ad honestam sustentationem sufficit.

50. Possessionum ecclesiasticarum nomine comprehendimus ei do-
nata bona (nam per vim fraudem accepta hinc excludimus) cum immobi-
lia, tum mobilia, qualia sunt fundi & agri, sive soli, sive cum coloni & ru-
sticis, aedificia & domus, pecuniarum sortes & usura, decime, & similia.

51. Habere easdem intelligitur vel de dominio & mancípio, vel de
usu & usufructu, sive toto, sive ex parte, quanta requiritur ad necessitatem
honestatemq; aut etiam rapitur ad luxum, fastum, & voluptatem: de quibus
singulis quæ sit nostra contradicentiumve sententia, ex dictis dicendisq; non ob-
scurum esse autemamus.

52. Dominium & mancipium non competere ministris ec-
clesiae, præter intentionem donantium, ostendit infirmitas rationum Bellar-
mini in contrarium allatarum: de quibus in ipsa ov. Cyri sei: dispensatio-
nem usus fructusq; iisdem non quadrare, & propter emergentia incommo-
di inconvenientem esse partim offici ipsorum amplitudo & gravitas, i. Tim. 4.
v. 12. & seqq. parsim diversissimarum occupationum incongrua conjunctio-

2. Tim. 2. v. 4. (Conjunge Siracidis 6. 28. v. 25. & c. 59. v. 1. & seqq.) partim exemplum primitivæ ecclesiæ, Act. 6. v. 2. evicit.

53. Eandem vero ecclesiæ ejusq; nutritijs & patronis competere patet cum ex ijs, quæ in questione secunda paulo ante sunt dicta, presertim ex Rom. 15. v. 27. 1. Corint. b. 9. v. 11. tum ex ratione à relatis idipsum ei esse licitum ostendi potest. accipere enim ministri salario est licitum. E. ecclesiæ erogare ea est licitum.

54. V. Q. An clericis, (quo nomine nos intelligimus ministros ecclesiariū & scholarū) liceat ulla habere bona, propria sive seculatia, ut vocant, præter ecclesiastica, sibi & toti ordini communia? R. affirmat Bellarmi nus, & nos cum eo: negavit Thomas Waldensis, qui, referente Jesuita, voluit, unumquemq; clericorum debere bona sua patrimonialia vel erogare pauperibus, vel in commune ponere sive largiri ecclesiæ.

55. Argumenta Bellarmini sunt quatuor: (quæ omnia quidem referemus, quamvis imparis valoris & ponderis esse non ignoramus: immo præter primum reliqua exigui vel nullius esse momenti apud nostros sciamus.) Primum ex: Timoth. 3. v. 2. 4. 5. ubi jubet Apostolus eligi episcopum hospitalium, qui domui sue bene prestet, & filios subditos habeat. E. concedit ei bona propria, ista enim omnia præsupponunt divitias proprias, sine quibus commemorata praefari nequeunt.

56. Secundum, ab exemplō Philemonis, qui dives erat, ut appareat ex: epistola Pauli ad eum, habebat servum: & tamen erat episcopus, ut eum nominat Anselmus, vel Evangelista, ut eundem appellat Hieronymus. E. clericus licet habere proprias divitias. Simile, vult esse exemplū consanguineorū Domini, qui habuerunt possessiones modicas ex paterna hereditate, & tamen fuerunt ecclesiæ dices sive episcopi: vide Eusebium lib. 3. hist. eccles. cap. 19.

57. Tertium ex constitutionibus: Canon 40. Apostolorum sic ait: Sine manifestæ res episcopi, si tamen habet proprias, & manifestæ Dominicæ, ut potestatem habeat de proprijs mortens episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere. Unde colligitur, ejusmodi bona propria ipsi licitum esse possidere. Idem habere ait Concilii: qualia recentset Agathense, can. 48 Bracarense, ut Martinus Bracarensis, can. 15. suorum decretorum testitur, Hispanense & can. 1.

58. Quartum, ex autoritate trium patrum: 1. Ambrosij, qui epist. 33. ad Marcellinam dicit, se obtulisse suum patrimonium, cum rogaretur, ut unam ecclesiæ, b. e. patrimonium Christi, tradiceret Ariani. 2. Augustini, qui serm.

i. de:

et de moribus clericorum, ait, eos clericos, qui professi fuerant vitam communem, si postea resiliant, & velint habere propria, graviter peccare propter voluntatem violationem, unde colligitur, cum sensisse alios clericos, qui non voverunt communem vitam, posse habere proprias. 3. Prossperi, qui lib. 2. de vita contemplativa, cap. 12. dicit, sans ulla peccato posse clericum vivere ex proprio patrimonio.

59. V. I. Q. An aliquod singulare sit præmiū bonorum & fideliū ministrorum in vita æterna, & an aliquæ poenæ peculiares malorum sive infidelium in morte æterna? R. affirmamus, eaq; communis est plerorumq; theologorum sententia, quod ad singulare præmium fideliter docentium in ecclesijs & scholis: à qua recedit P. Martyr in L. C. T. 1. classe 3a: loco 17. §. 8. & seqq. usq; ad 14. quod tamen quatenus & qua de causa faciat, infra plenius exponetur.

60. Bonum & fidem ministrum hic consideramus respectu bonitatis in officio proprio, quam Apostolus appellat fidelitatem, 1. Corinb. 4. v. 2: à qua tamen minime se jungimus bonitatem sive virtutes in officio omnium Christianorum communi: ut sus loco distinctius & plenius declaravimus.

61. Officium ejusdem in quo consistat, quinam ejus legitimè obediendi modus, cum publice, tum privatim, quis finis tam propinquus, quam remotus. & ultimus, ibidem explicare studuimus.

62. Præmium ejusdem duplex statuimus, ratione conferentium: humanum & divinum. Humanum subdistinguitur in honestam sustentationem, (de qua ante actum est) & honorem, ut appellatur, Phil. 2. v. 29. 1. Thess. 5. v. 12. 13: 1. Tim. 5. v. 17. qua appellatione omne pium officium cum reverentia & subjectione quidam conjunctum denotatur. sunt enim parentes auditorum spirituales, 1. Corinb. 4. v. 15. Gal. 4. v. 19. quo nomine ipsis honorem deberi constat ex quarto præcepto; Exodi 20. vers 12. Siracidis 6. 3. vers 9. & exemplo Galatarum; Gal. 4. vers. 15. unde etiam Reverendorum titulo honorantur.

63. Divinum itidem distingui potest partim ratione ecclesiæ militantis & triumphantis, partim ratione collationis in hac vita.

64. In militante ecclesia merces & benedictio omnium generis fidei ministeri promissi est, 1. Cor. 9. 17. Ephes. 5. v. 8. non tamen sine conditione crucis, Matth. 10. v. 24. Ebrae. 6. 13. v. 5. 6. & seqq.

65. Hæc autem benedictio ratione collationis complectitur gratias sive beneficia Dei cum positiva, tum privativa.

66. Positiva appellamus, quæ bonum aliud per se & immediate afferunt: talia sunt augmenta donorum habituum animi, quæ crescent in habentibus & exercentibus, Matth. 13. v. 12. c. 25. v. 29. corporis, Psal. 91. v. 16. quibus accedit proprie conscientia gaudium, i. Cor. 4. v. 4. & aliorum recte sentientium testimonium, Gal. 4. v. 15.

67. Privativa nominamus, quæ, quia malum avertunt, non nisi consequenter & mediate bonum important. talis est defensio contra omnis gentium hostes, promissa Moysi, Exodi c. 3. v. 12. Hieremias c. 1. v. 8. Apostoli omnibus communiter, Matthei 10. v. 31. cap. 28. vers. 20. & sigillatissimo Paulo, Acter. 48. vers. 10.

68. In triumphante quale præmium fidelium ministerorum sit futurum. definitè & in specie scire non possumus: Esa. c. 64. v. 4. i. Cor. 2. v. 9: sed in genere, & quantum de eo revelavit Dominus in scriptura, quæ id appellat coronam vel justitie 2. Tim. 4. v. 8. vel gloria immarcessibilis, i. Petri 5. v. 4. vel vita, Apocalypsi. c. 2. v. 10: & vulgo donum accidentale & singulare appellatur, respectu substantialis & communis omnium beatorum, quod est beatitudine aeterna.

69. Positum hoc fore in peculiari & eminenti quadam claritate & splendoris glorificatorum pastorum & doctorum (etiam magistratum aliorumque praeclarè ecclesia & repub. meritorum, imò piorum omnium præ ceteris in hoc mundo fulgentium) communù est opinio, in primis ex Danieli cap. 12. v. 3: i. Corinthis 15. v. 41. quam impugnat P. Marthi loco ante allegato: cuius argumenta partim àuctoribus & consingulis nostris opposita, partim negatione & consingulo pro sua opinione propugnanda alioata paulò post expendemus, si prius doctorum illustrandorum gratia nonnihil de infidelibus pastoribus, quinam in hac classe comprehendantur, & de eorumdem paenit adjecterimus.

70. Infideles (sub quibus falsos doctores sive hereticos hoc loco non intelligimus) vocamus non tantum eos, qui officium intermitunt, ordinari temporebus & locis vel non docendo publicè, non administrando sacramenta, vel privatum uniusque suorum auditorum non instituendo, non confirmando, non corrigendo: sed etiam qui ordinarias operas vel perfunditorie tantum obeunt, vel ad auram popularem sive applausum auditorum & suam ipsius laudem capiendam, non ad Dei gloriam, & ad edificationem ecclesie sibi commisso in fide & moribus dirigunt: vel, ut summarim dicamus, qui vel in ipsis partibus sui munieris, vel in modo legitime eas obeundi, vel in fine & scopo à prescripto divino, (de quo alibi pluribus actum est) aberrant & declinant.

71. Panæ

71. Pœnæ horum, quas râmen gradibus differentes fore statuimus, prout
in alijs major in alijs minor est infidelitas, ex contrario facile colliguntur.

72. Primum apud pios homines (mundus verò amat, quod suum est, 10.
b. n. 15. v. 19;) honor eorum convertitur in contemptum, Malach. 2. v. 9. &
in ignominiam, Hosea 4. v. 7. Philipp. 3. v. 19.

73. Deinde benedictiones divinae huic seculo destinatae & promissæ commu-
tantur in maledictiones, Malach. 2. v. 2. & dona, que habent, ipsis auferun-
tur, Matth. 13. v. 12. c. 25. v. 29.

74. Cruciatum verò animi, quem plenè tandem percipient in gehenna,
etiam hic degustant sèpius, ut Apostolus innuit, 1. Cor. 9. v. 16.

75. Injuper in liberos quoq; horum maledictionum vnu redundare solet,
quod comminatur per Hoseam DEus, c. 4. v. 6. & ostendit exemplum filiorum
Eli, 1. Samuel. 3. v. 11. & seqq. c. 4. v. 11. item v. 18. & seqq.

76. Deniq; judicium eorum ultimum & pœnæ gravissimæ sequentur post
hanc vitam, quando peccatorum, pastori culpâ, sive in sua inscita, sive in
malitia percutient, sanguinem reposet DEus ab eis modi infidelium ministro-
rum manib; Ezech. 3. v. 3. & 5. & inutile servus ejicietur in tenebras exte-
riores, ubi erit ploratus & stridor dentium, Matth. 25. v. 30. (vide gra-
vissimam de hac re commone factio[n]em apud Chrysostomum
homilia 3. in Acta apostolorum.)

77. Nunc ut, quod hoc loco in questione[n]i venit, expediamus, argumen-
ta P. Martyris tam que contra nostram, ejusq; fundamenta precipua, quam
que pro fuis sententia afferit, breviter proponemus, & quid de singulis sententiis,
subjungemus, si prius Martyris mentem ipsius verbis, de ipso statu hujus contro-
versie, & de fundamento sive causa dissensionis, explicuerimus. Ea exstant
loco allegato § 8. Atq; hæc, inquit, à me non dicuntur, quod probare
velim ibi esse prorsus æqualitatem: sed asserto neutrū (æquali-
tatem vel inæqualitatem præriorum in vita æterna) ex sacris literis pos-
se confirmari. Probabilis est utræq; sententia, neq; ad salutem necessarium
esse duco, scire, utrum istorum verum sit. Probabile forsitan est, ut sit
in sanctis aliquid discriminis: sed hoc ex scripturis non existi-
mo posse demonstrati. Idem repetit §. 13. sub fine[n] hujus questionis
Hæc de sententia P. Martyris indicasse satis sit: quid de eadem videatur Calvi-
no, (ut de alijs ratiocin.) sequentia docebunt. Calvini verba lib. 3. insti-
tut. c. 25. §. 10. sunt hæc: Quod scripturæ docent, ab omni contro-
versia exemptum apud nos esse debet: nempe sicuti variè Deus
sua.

sua dona Sanctis in hoc mundo distribuens eos inæqualiter irradiat, ita non fore æqualem gloriæ modum in cœlis, ubi dona sua coronabit DEus. Et §. ii. recensit ex scriptura testimonij, quibus ipse nescitur, subjicit in hunc modum: Quemadmodum autem hoc uno consensu recipient omnes pij, quia verbo DEi satis testatum est: sic rursus spinosis questionibus, quas sibi obstaculo esse cognoscent, valere iussi, metas sibi propositas non transilient.

78. *Auctor & auctio*, nostris suprà adductis opposita, sunt duo: Unum contra locum Danielis 12. v. 3. Præmia diversa requirunt diversos, quibus distribuantur. At hic non sunt diversi, qui instar firmamenti, & qui instar stellarum fulgebunt: quia idem sunt, qui docent, & qui alios instruunt ad justitiam, ut per se patet, & alias usitatum est in scriptura, in secundo commate repeteret & explicare, quod fuit in primo. E. præmia non sunt diversa. R. Assumptio distinguenda est: de genere diversis conceditur, non de diversis numero & laboris gradu, quem alij majorem, alij minorem sustinent, ut Apostolus de se affirmat, v. Corintb. 15. v. 10; 2. Corintb. 11. v. 23.

79. Quod autem Martyr ait, Doctorum hic potius, quam aliorum piorum factam esse à propheta mentionem, quid illi, quoniam plus quam ceteri persecutio[n]ibus expositi sunt, magis confirmandi fuerunt: id invertimus. Si enim magis confirmaudi fuerunt quam n[on] ceteri, peculiari, & non communis argumentum & præmio fuerunt confirmandi: de quo est questio

80. Alterum: Apostolus eo loco, (1. Cor. 15. v. 40. 41.) agit de corpore depositi per mortem, & restituvi per resurrectionem gloria inæquali: quod patet ex apodoſi similitudinē, v. 42. 43. 44. E. locus nihil ad propositum facit. R. Antecedens, acceptum simpliciter & de omni corpore humano negatur. Ita enim esset gloria aliqua corporis non glorificati: quod est absurdum. Probatio laborat presupposito falso, quasi in omni apodoſi omnia protaseos membra explicitè poni necesse sit: quod secus in scriptura fieri patet ex solo Proverbio rū Salomonis libro. vide cap. 1. v. 7. cap. 4. v. 18. cap. 13. v. 19 Quid? quod hoc ipso in loco Apostolus, cum v. 40. dixisset, alium esse decorum cœlestium corporum, alium terrestrium, contentus in v. 41. id explicare in cœlestibus corporibus, terrestrium decoris differentiam omittit.

81. *Kætæron & auctio* apud eundem sunt sex: Primum: Matth. 20. v. 9. 10 Denarius datur omnibus in vinea laborantibus, nihil amplius. E. non est præmiorum inæqualitas. R. Propositionis omisso consequentia negatur. si enim denarius est vel substantiale vel accidentale præmium in vita eterna,

aeterna, etiam beati quidam murmurabunt contra DEum, nati illud ipsum:
quod est absurdum.

82. Secundum: 1. Corinth. 15. v. 28. DEus erit omnia in omnibus.
E, non erunt in aequalia praemia. R. Propositionis consequentia iterum negatur.
manebit enim nihilominus capiti Christo sua eminentia, ut disserere ad hunc locum scribit Beza, unde etiam differens gloria membrorum sequitur: & DEus
in hac vita operatur omnia in omnibus, Eph. 1. v. 11. non tamen aequaliter
gradu.

83. Tertium: Matth. 13. v. 43. Omnes justi fulgebant in regno patris, ut sol. E. aequaliter nulla enim major lux, quam solis. R. Antecedente loquitur vel de substanciali vel de accidentali praemio, si de priori est ex extra questionem: si de posteriori, negatur, in textu enim est indefinita propositione, sine signo universalis, quod addidit Martyr, quid? quod per etiam in hac vita inter impios lucere dicuntur ut luminaria in mundo, Philip. 2. v. 15: quod tamen aequaliter ab omnibus non sit, sicut luminarium non est par splendor.

84. Quartum: Matth. 22. v. 30. In resurrectione mortuorum omnes erunt ut angeli. E. aequali gloria, alioqui ulterius progressus fuisset, & varia eorum discrimina constituisset. R. Propositione inverti potest, cum enim per uecti angelii erunt, differentibus gradibus: quia hi reperiuntur in angelis. Prosylogismus propositionis laborat fallacia causae. Christus enim eo in loco tacuit de gradibus præriorum, quibus donabuntur beati, non quod illos non agnosceret, sed quod eorum mentio aliena ab isto proposito, quod erat de sola resurrectione, non de ejus consequente, nempe de piorum resurgentium praemio.

85. Instantia occurrit triplex: una, Scriptura quidem dicit, nunc angelos habere inter se diversos ordines & prefecturas, quia DEus eorum ministerio ad orbem & ecclesiam regendam uitit: sed tum abolebuntur omnes principatus & potestates. E. incertum est, an ibi futuri sint diversi ordines in angelis, quod ad felicitatem. R. Propositione laborat fallacia consequentis, confundens differentiam donorum habitualium in angelis, cum diversitate munerum eiusdem assignatorum: hec cessabit; illa manebit: nisi dicere velimus, angelos quosdam fore seipsum minores & deteriores in futura vita: quod est absurdum.

86. Altera: Si argumentum ab angelorum differentibus gradibus peritum valere deberet, sumendi essent angeli eiusdem speciei & ordinis, & statuendum, omnes habere eandem felicitatem. At non hoc: quia qui ponant diversos ordines in angelis, volunt eos inter se esse specie, ac fortassis proximo genere, differe: quod non potest de hominibus beatis dici, qui specie conveniunt. R. Proposi-

E

positio-

positionis consequens distinguendum: de felicitatis specie conceditur, non de gradibus in illa. Assumptio negatur à nobis: qui vero contrarium sentiunt, ijs, tanquam affirmantibus, probatio incumbit.

87. Tertia: Cessante causa impidente, cessat effectus. In vita eterna cessabit causa differentiae graduum regenerationis, nempe labes carnis, quae nunc facit, cur unus magis, quam alius à praesentis boni perceptione impediatur. E. ipse etiam effectus, nempe differentia graduum. R. Assumptio committit ignorationem elenchi, agens de substanciali premio, quod est abolicio mortalitatis, ejusque causarum, cum quaestio sit de accidentalis, cuius causam negamus esse, que assertur.

88. Quartum: Si diversa forent beatorum premia accidentalia acciperent apostoli duodecim principia, quibus ea promisit Christus, Matth. 19. v. 28. At non hoc: ita enim excluderetur Paulus, cui tum non fuit promissum: idem vero præ ceteris laboravit, 1. Cor. 15. v. 10; 2. Cor. 11. v. 23. & omnes sancti excluderentur ab hoc honore Apostolis proprio, quod negat Paulus 1. Cor. 6. v. 2. 3. E. nec illud. R. Propositio amplianda est. ex Apostolorum enim numero non est excludendus Apostolus, licet inter duodecim non computetur. Assumptio negatur, prior probatio distinguenda est: explicetur quidem & in specie ei tum non fuit promissum, sed implicitè & in genere, v. 29. posterior laborat homonymia. sancti enim judicabunt mundum aliter, quam apostoli: hi doctrina, quam vivâ voce & scriptis propagarunt: illi approbatione sententia à judice vivorum & mortuorum latet.

89. Sextum, ex Roman. 8. v. 18. Si Deus in attribuenda vita eterna dignitatem nostrorum operum non respicit, neque etiam ex eadem elici possunt isti premiorum gradus. At prius. E. & posterior. Propositionem illustrat à contrario: Ex mera Dei liberalitate felicitatem adipiscimur. E. ab eadem, b. e. ab eius misericordia petendam esse premiorum discriminem, non à nostris operibus. R. Propositio falso presupponit nescit, quasi ex eodem fonte substantiale & accidentale premium proficiat: cum tamen vita eterna dicatur donum Dei gratuitum, Rom. 6. v. 23; gloria autem sanctorum referatur ad labores, tanquam eorum premium.

90. Atque hac de quaestionibus præcipuis ad doctrinam de ministerio verbi & sacramentorum in ecclesia Christi rectè suscipiendo, fideliter administran-

nistrando, constanterq; sustinendo proposuisse suf-
ficiat. Deo opt. max. toto pectore gratias agimus,
cum pro omnibus alijs in nos indignissimos collatis
beneficijs, quæ plura sunt quam ut numerari à nobis
possint, Psal. 40. v. 6. tum etiam pro hoc inter illa
non postremo, quod, quorum commentandorum
principium operatus est in nobis, eorundem ad fi-
nem perducendorum gratiam dedit, Psal. 68. v. 29.
Philipp. 1. v. 6. nec opus manuum suarum deseruit,
Psal. 138. v. 8. Eudem rogamus, ut laus ejus sit
semper in ore nostro, Psal. 34. v. 2. ipsumq; laude-
mus, quam diu futuri sumus, Psal. 146. vers. 2:
quod ut tanto rectius fieri possit, precamur, ut extru-
dat fideles operarios in messem suam, Matt. 9. v. 38.
eosq; per se inidoneos, 2. Cor. 2. v. 16. ipse, à quo
est omnis nostra idoneitas, reddat idoneos, ibid. c. 3.
v. 5. 6. ut sectentur sermones fidei bonaq; doctrinae,
quibus innutriantur, 1. Timoth. 4. vers. 6. sciant
tanquam fideles ministri, & prudentes mysterio-
rum Dei, 1. Cor. 3. v. 1. 2. sermonem veritatis re-
tè secare, 2. Timoth. 2. v. 15. unicuiq; parvulo-
rum, ut parentes liberis, & nutrix infanti, 1. Thes-
sal. 2. v. 7. II. lac illud sincerum & rationale in-
stillare, 1. Cor. 3. v. 3. 1. Pet. 2. v. 2. adultis soli-
dum cibum præbere, Hebra. 5. vers. 13. 14. eosq;
corroborare, ne circumferantur omni vento

E 2

doctri-

doctrinæ, sed veritatem sectantes cum charitate
adolescant in eum per omnia; qui est caput, nempe
Christus, Ephes. 4. v. 14. 15. prædicent sermonem,
instent tempestive, intempestive: redarguant, in-
crepent, exhortentur cum omni longanimitate \mathfrak{C}
doctrina, 2. Timoth. 4. v. 2. quæcunq; $_z$ prædicent,
sunt oracula Dei, 1. Pet. 4. v. 11. \mathfrak{C} analogia fidei,
Röman. 12. vers. 6. directa ad gloriam Dei; 1. Co-
rinth. 10. v. 31. \mathfrak{C} ad ædificationem suæ fidei com-
missorum; ibid. cap. 14. vers. 26: deniq; $_z$ sint typi
fidelium in sermone, in conversatione, in dile-
ctione, in spiritu, in fide, in puritate, 1. Ti-
moth. 4. vers. 12. ut latam adventantis sui Domi-
ni vocem audiant, Euge serve bone \mathfrak{C} fidelis, in
paucis fuisti fidelis: super multa te constituam:
intra in gaudium Domini tui, Matthæi 25. v. 21.
Hæc vota \mathfrak{C} preces nostras ratas esse velit pater ille
miserationum, per \mathfrak{C} propter filium unigenitum,
in quo omnes promissiones ipsius sunt rata \mathfrak{C} amen,
2. Cor. 1. v. 3. \mathfrak{C} 20.

A U C T A R I U M P R O-
B L E M A T U M.

1. Q. An sicubi emeritis, ut in V. T. Levitis post
quinquagesimum annum, libertas indulta sit; ea uti frui
litterat. R. disting.

2. Q. An Bernhardi sententia assententis epist. 87.
indis.

iad solubile vinculum inter ecclesiam & ministrum, non
minus, quam inter coniuges, sit vera? (Similis legitur
7. q. i. c. sicut vir ex Euarii epist. 2.) R. neg.

3. Q. An iusta mutationis causa sint sola studi-
orum impedimenta aut avocamenta, quae ab agricultura
proveniunt, si cetera ad sint vitæ subsidia, & ecclesia pa-
storem dimittere nolit? R. neg.

4. Q. An simpliciter verum sit, quod V. CL. Dn.
Franciscus Junius lib. 3. de ecclesia cap. 3. pag. 183. scri-
bit: Nonnulli sanctorum humilitate prædicti viri, propter qua-
dam in se offendicula, quibus pietate religioseq; movebantur, epi-
scopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum lau-
de posuerunt? R. negamus, & de facto, & de causa, ejusq;
censura & judicio.

5. Q. An ratio, quæ ibidem immediate subjungi-
tur, faciat ad propositum probandum? (Verba Junii sunt
hæc: In accipiendo his rebus possunt esse justæ causæ, cur ex-
cuset quis fieri episcopus, nec tamen similiter potest illa caus-
æ esse justæ, cur quis excusat fieri Christianus.) R. negamus.
de abdicatione enim est quæstio: de susceptione est ra-
tio: quæ non sunt unum & idem, & diversam habent
naturam & conditionem.

6. Q. An in deliberatione de mutanda functione
sua ad tranquillandam conscientiam sufficiat hic syllogis-
mus: Ubi Deo, majori cum fructu ecclesiæ, servire pos-
sum, et teneor migrare. In loco, ad quem vocor, pos-
sum Deo, majori cum fructu ecclesiæ, servire. E. teneor
et migrare. R. affirmativa exstat consilio 1. Decadi 1X,
sub nomine & autoritate M. Martini Hammeri: pag. 35:
negativa est D. Chemnitij in L. C. parte III. pag. 322.
(confer. D. Hemming, in pastore, pag. 211. edit. Lubec.
Junium in ἀραλύσει Deuteron. cap. 18, pag. 122. in 40.)

E 3.

7. Q. An,

7. Q. An , qui omnibus & singulis auditoribus est exosus , deterere suam conditionem licet posse , etiam si alibi nova alterius consequendae spes non appareat ? R. affirmat: Calvinus epist. 227. 229. 381: cuius sententiam , quia Salvatoris nostri verbis , Matth. 10.v.14. consentanea apparet , nos quoq; probamus.

8. Q. An liceat resignare suum munus , si altera ejus pars , nempe administratio Sacramentorum , denegetur ? R. Calvinus epist. 99 negat: (vide etiam P. Martyrem T.3.epist.ad amicum quendam in Anglia,col.206.) nos secundum quid consentimus.

9. Q. An , ordinario pastore defuncto , vicini pastores in peste & contagiosis morbis ecclesiæ orbatae curam suscipere teneantur ? R. affirmamus.

10. Q. An judicium pastoris Curiensis , de quo Zanchius in comment. epistolæ ad Philipp. (fol. 223. col. 2, in 40.) in agone dolentis , se consilium D. Zanchij de consulendo sibi per fugam & secessionem non esse fecutum , fuerit ex carne , an ex spiritu ? R. Nobis prius , Zanchio posterius visum fuisse apparet.

11. Q. An justitia sit contentaneus can. Nullus laicus , & can. Laico . 2.q. 7: qui omnes laicos , quamvis probatae vitæ viros ab accusatione & testimonio in clericos dicendo summovent ? R. negamus.

12. Q. An inter infirmitates & peccata venialia , (quæ Christi perfectione in creditibus testa non imputantur) referri possit , si quis vel ex ignorantia , vel exemplis & consuetudine solemnii peccat in ijs , quæ ad ministerij sacrosancti partes legitimè obeundas pertinent ? R. negamus.

13. Q. An talibus erratis & peccatis communicent , qui aliorum inspectores & Superintendentes sunt.

sunt constituti, eosdem admonendo non student erudire
& corriger? R. affirmamus.

14. Q. An decimæ (vel stipendia) malis ministris
solvenda? R. Bellarminus lib. 1. c. 25. de clericis affir-
mat: VVicelius negavit olim simpliciter, ut vult Jesuita,
aut secundum quid, ut alij sentint: (vide Danæum &
Fr. Junium in animadversionibus) nos distinguimus.

15. Q. An quis possit percipere decimas (vel sti-
pendium) qui non vivit in paupertate, more Apostolo-
rum? R. affirmsat Bellarminus, cum quo consentimus,
quod ad genus, non quod ad speciem: negarunt olim
Fraticelli, sive pseudapostoli.

16. Q. An qui bona patrimonialia habet, possit
simul bona ecclesiastica habere sive stipendium ex æra-
rio ecclesiastico? R. affirmsat glossa & Johannes de Tur-
re cremata in can. Clericos, 1. q. 2: consentit eidem P.
Martyr in L. C. classe 4. loco 2. f. 2. & seqq. item Ju-
nus in animadversionibus: negat Prosper lib. 2. de vita
contemplativa, cap. 9. 10. 11. 12. Bellarminus lib. 1. de
clericis, cap. 27. hunc postremum cum duobus primis
duobus conciliare conatur.

Locus insignis D. Lutheri ex T. 6. Jenensi, fol. 39. a.
cuius mentio est facta supra thesi 28. cap. 11. in disputat. auf.
der Summa des Christlichen Lebens / aufz. der Epistel S.
Pauli 1. Timoth. 1. gepredigt zu Dessau /

Anno 1533.

¶ Also sage darnach weiter/in Geistlichem Stand
Vnd Empfern / Wenn ich oder ein ander pre-
dige / vmb einer guten Pfarr willen / da ichs
seins:

sonst wol liesse anstehen/ Da mag ich auch wol das
Evangelium predigen/ aber mein Herz ist nicht
rein/ sondern ein lauter Unflat. Darumb wenn
ich gleich lange predige/ und sage/ Es sey ein gutt
Werck und kostlich Amt/ etc. So verstehe ichs
doch selbst nicht/ Denn es gehet nicht aus dem
Herzen. So ist aber das Herz rechschaffen/ wenn
es also steht/ Ob ich wol Narung sol dafür ha-
ben/ doch nicht daben geblieben/ Sondern weil
mich Gott zu dem Amt berufen und befohlen
hat/ dasselbige trewlich und vleissig auszurichten/
zu seinem Lob und der Seelen Heil/ So thu ichs
von Herzen gerne/ ums worts willen. Da su-
che ich nicht Lieben noch Freundschaft/ Ehre und
Dank von den Leuten/ sondern quillet aus dem
Herzen/ und richtet dasselbige aus/ ehe es Ehre/
Geld oder Honst davon kriegt. Ob ich wol das-
selbige/ wo es kommt und folget/ ohn Sünd haben
und nehmen mag.

Hū planē familia sunt: & probè consentiunt, que D. Nicolaus Hem-
mingius in pastore, sive pastoris optimo vivendi agendis modo scribit, pag. 208.
edit. Lubeccensis Anno 1590. & Lambertus Dancus in i. Timoth. cap. 5.
pag. 319.

Verba Hemmingij sunt hæc: Mandatum
Christi est: Gratis accepistis, gratis date. hinc in-
ferunt, non licere ministris stipendia ordinaria
petere:

petere: sed perperam, ut ex alijs locis apparet. non
enim gratuitæ dispensationi repugnat, quod ecclesia
doctores publicis stipendijs aluntur, modò ultrò
liberaliter Christo & Ecclesia serviant: victus
etiam sit quasi laboris accessio. Significat qui-
dem Christus, neminem sincerum fore,
verbi Dei ministrum, nisi qui operam suis
gratis impendere paratus sit: non tamen
tollit, quod ante dixit: Dignus est opera-
rius mercede sua.

Verba Danæi ita habent: Neque tamen,
etsi dignus est Pastor suo stipendio & suo
honorario, tanquam mercede, propterea
pascere gregem debet eo animo, ut inde
stipendia accipiat, & mereatur. nam hujus-
modi animus est avaritiæ, (quæ est omni-
bus fugienda, imprimis autem pastoribus,
Luc.12.v.15: 1. Petri 5.v.2.) surculus, quam-
vis non expetat inde ditescere, vel opes cu-
mulare. præcipuus enim pastorum scopus esse debet
Dei ipsius gloria: victus autem ipsorum est accessio
quædam tantum, quem idcirco petunt & spectant,
quia ad faciendum & melius, & alacrius, & li-
berius officium, ille necessarius est.

F

D. Chry-

D. Chrysostomi ex homilia 3. in Acta Apostolorum:
locus, cuius meminimus sub finem thesis 76. in Cap. II. di-
putationis. Desiderio Erasmo Roterodamo interprete,
ita sonat:

Non temerè dico, sed ut affectus sum ac sentio. Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvifiant, sed multò plures, qui pereant. in causa est, quoniam res excelsum requirit animum: multos enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis illi opus undiq; non vides, quām multas res oportet adesse episcopo, ut sit appositus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax sit ac fidelis in doctrina sermonis, quātae hoc difficultatis? & quod alij peccant, illi imputatur. Nihil dico præterea, si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit estimate. etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc filius Dñs fieret homo, tantaq; pateretur, perditio, cogita, quantum conciliabit poenam. Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quantò magis ille? Hac ille & plura in hanc sententiam, de Episcoporum munere ejusq; difficultate & periculis: quæ si quis Græcè malit ex ipso Chrysostomo, quām ex interprete cognoscere, reperiet ea fol. 472. & seqq. in editione Commeliniana, quæ prodidit, cl. 15. c. 111.

Episto-

Epistola Hieronymi, qua docet, quatenus
amplectendus ac legendus sit Origenes, ut scribit.
Erasmus in eisdem argumento: ex T. 3. operum.
ipius; fol. 143. a.

HIERONYMUS TRANQUILLINO.

Majora spiritus vincula esse quam corporum, si
olim ambigebamus, nunc probavimus, dum
Et mihi sanctitas tua haret animo, Et ego tibi Chri-
sti amore conjungor. vere enim Et simpliciter can-
didiissimo pectori tuo loquor: ipsa schedula Et muti
apices literarum inspirant in nos tuæ mentis affe-
ctum. Quod dicas Origenis multos errore deceptos,
Et sanctum filium meum Oceanum illorum insa-
niae repugnare, Et doleo simul Et gaudeo, dum aut
supplantati sunt simplices, aut aberuditio viro erran-
tibus subvenitur. Et quia meæ parvitatis queris
sententiam, Utrum secundum fratrem Faustinum
penitus respuendus sit, an secundum quosdam le-
gendus ex parte: ego Origenem propter eruditionem
sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum,
Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos ec-
clesiasticos scriptores Græcos pariter & latines, ut bona
eorum eligamus, vitemusq; contraria, juxta apostolum
dicentem, Omnia probate: quæ bona sunt, tenete. Cœ-
terum qui vel in amorem ejus nimium, vel in odium sto-
machi lui pravitate ducuntur, videntur mihi illi maledicti

F. 2.


pro-

prophetico subjacere: Vnde his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam ejus, prava suscipienda sunt dogmata; nec propter dogmatum privatatem, si quos commentarios in scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. Quod si contentio sum inter se amatores ejus & obirectatores funem duxerint, ut nihil medium appetant, nec servent modum, sed totum aut probent aut improbent; libentius piam rusticitatem, quam doctam blasphemiam eligam. Sanctus frater Tatianus diaconus te impendio resalutat.

ΓΡΗΤΟΡΙΟΣ Ο ΘΕΟΛΟΓΟΣ,

εἰς Διπλογητικῶν, pag. 27.

Hοῖς μεν δὲ πάσιν & πύλας διηγοσιών, ἀλλὰ θύεσαι οὐδέ είναι τοις κατ' ἀλήλων θεραποτῇ, καὶ οὗτοι αἱρεσίες οἵμιν, εὐχός ὁσαν μηδὲ ῥῆμα περέπτυ αἴρειν Φόβων θεῶν, ἀλλ' ὁσαν τόχη πλεῖστη τὸν τολμοῖον ἡ πάντα κακῶσ, η Ἀλεξανδρίδειον, η εὐανθυμοτονικόν, καὶ τὴν τῶν γλώσσων αὐτῷ σφέφων καπνον η ἴσχυρον πιθίων, εἰς τὸν οὐκεπόνον. πρᾶμεν δὲ τοις ἀλήλων ἀμαρτίαις, θύεινα Θρηνήσωμεν, ἀλλ' οὐδὲ οὐειδίσωμεν, οὐδὲ οὐαδερετίσωμεν, ἀλλ' οὐαστολίζωμεν, καὶ απολύται ἔχωμεν ταῦτα ἡμετέρων κακῶν τὰ τὰν τολμοῖον τρέψυμεν. κακοὺς δὲ καὶ αἰσχροὺς οὐχ οὐ τερπτοί, ἀλλ' οὐ Αἰσχυλος κακή Φιλία χαρουπεῖται: ηδὲ σημεῖον εἰπανούμεν, ἀνεργονεκακισμεν, ηδὲ παράλοις σηλιτρεῖται, παρά οἵμιν θευματικά πάντα συγχωρεῖται τοις θύμως τῷ ἀσθεῖν οὐτω τὰν κακιαν εἰσμὲν μεχαλεψύχοι Latinam horum verborum interpretationem si quis desiderat, inveniet eam in operibus Nazianzeni latine à Job. Lewenclajo editis, fol. 411. interprete Jacobo Billio.



Epistola Hieronymi, qua doce
amplectendus ac legendus sit Origen
Erasmus in eiusdem argumtento: ex T.
ipius, fol. 143. a.

HIERONYMUS TRANQUI

Majora spiritus vincula esse quæ
olim ambigebamus, nunc proba
et mihi sanctitas tua hæret animo; et
amore conjungor. verè enim et
didissimo pectori tuo loquor: ipsa sch
apices literarum inspirant in nos tu
etum. Quod dicas Origenis multos e
sanctum filium meum Oceanum
mæ repugnare, et doleo simul et ga
supplantati sunt simplices, aut aberua
tibus subvenitur. Et quia meæ par
sententiam, Utrum secundum fratre
penitus respuendus sit, an secundum
gendas ex parte: ego Origenem propre
sic interdum legendum arbitror, quomodo
Novatum, Arnobium, Apollinarium, &
elesiasticos scriptores Græcos pariter &
eorum eligamus, vitemusq; contraria, ju
dicentem, Omnia probate: quæ bona sur
terum qui vel in amorem ejus nimium, ve
machis sui pravitate ducantur, videntur mi

F. 2.

